

Lorenz Bodock

**Laurenti[i] Bodocki[i], ... in Universit. Rostoch. Oratoris publici. Vir Prudens In Invidiae, Calumniae, Caeterorumq[ue] Infortuniorum Insultu. Magnanimus**

Rostochii: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730137228>

Druck Freier  Zugang





Ru phi 1654  
Laurentius Bodock









1  
LAURENTI BODOCKI, J. U. D.  
Illustrissim. Principum & Ducum  
Mecklenburg. in Universit. Rostoch.  
Oratoris Publici.

VIR PRUDENS,

IN

INVIDIÆ, CALUMNIÆ, CÆ-  
TERORUMQ; INFORTUNIO-  
RUM INSULTU.

MAGNANIMUS.



*Impressus.*

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILI, Academ. Typogr.

Anno M. DC. LIII





VIRIS

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS

DN. REINHOLDO von Gehren /  
J. U. D. olim Sereniss Princip. ULRICI  
Consiliario & Judic. Mecklenb. Assessori, nunc  
Reipubl. Rostoch. Syndico.

DN. CHRISTOPHORO Krauthoff/  
J. U. D. & Reipubl. Rost. Vice Syndico.

DN. FRIDERICO Gochman / J. U. D.  
ac Practico.

DN. ALEXANDRO Kirchberg /  
J. U. D. ac J. P. Advocato.

DN. DANIELI Sandow / J. U. D.  
ac J. P. Advocato.

DN. ALBERTO Willebrandt / J. U. D.  
ac J. P. Advocato.

DN. JOANNI Wegener / J. U. D. J. P.  
Advocato, & Cons. Duc. Fiscali.

DN. ADOLPHO FRIDERICO  
von Hagen / J. U. D. & J. P. Advocato.

DN. CUNRADO Schuckman / J. U. D.  
ejusdemq. in F. J. Substituto.

DN. JOANNI CHRISTOPHORO  
von Hillen / J. U. D. & J. P. Advocato.



DN. HERMANNO Lembken / J. U. D.  
& Consist. Ducal. Advocato.

DN. BERNHARDO Saul / J. U. D.  
Consistor. Provinc. Advocato.

DN. DANIELI CUNRADI, J. U. D.  
& J. P. Advocato.

DN. REINHOLDO von Gehren /  
J. U. L. ac J. P. Advocato.

*Nobilissimis hujusce Universitatis Civibus.*

*Viris gravissimis celeberrimis, prudentissimis, Fa-  
vitoribus & amicis honoratissimis.*

**O**ffero Vobis, VIRI AMPLISSIMI, CON-  
SULTISS. EXCELLENTISSIMI, eâ quâ  
debet reverentiâ, in hoc novô Annô, huncce VIRUM  
PRUDENTEM; à me equidē exiguô calarnô adum-  
bratum; verum à VOBIS generosâ animi constan-  
tiâ, in diverso fortuna vultu, vivis veluti coloribus ex-  
pressum aut exprimendū. Cū nulli homines, magnâ licet  
Vita integritate, ac prudentiâ eminentissimi, in hac re-  
periantur mortalitate, qui vel cum fœdissima calum-  
nie ac invidia portentis, vel cum iniquiori fortunâ  
non colluctentur, aut colluctari non valeant; in hoc  
quonquam felicissimi, quod eò clarius tam dignitate  
tum jamâ enitescant, quod magis, prænominatorum  
monstrorum atrocitati, fortunaq; asperitati sunt  
obnoxii. Accipite itaq; obsecro, Viri Amplissimi &c.  
benevolentissimo animo, huncce VIRUM PRU-  
DEN



DENTEM, si non ex ingenij, judicii, facundiaq;  
præstantiâ; certè è vestrorum Nominum honorificentissi-  
morum dignitate & celebritate, non mediocrem glori-  
am promeritum; jurèq; meritò VOBIS OMNIBUS  
dedicatum cum OMNIUM VESTRUM ergà me  
favorem in dubium vocare non audeam; & cum O-  
MNES vos, partim in hacce Academiâ (cujus nobilif-  
sima membra fuistis vel estis) partim in Republ. maxi-  
mâ resplendetis prudentiâ; egregièq; famam vestram,  
virtutib; VIRO PRUDENTE dignissimis, in ipsam  
vindicare immortalitatem conamini. Si votis meis  
locum dederitis Viri Ampliss. Excellentiss. Consultiss.  
ut in cæteris, ita in hoc passu, expressam prudentiæ  
imaginem declarabitis; quæ non ex donarij magnitu-  
dine, sed ex donantis affectu, munificentiam aestimat.  
Me verò ad deprædicandam ubiq; prudentiam Ve-  
stram, cum magnâ animi ergà me benevolentiam con-  
junctam, obligabitis. Valetè. Dab. festinanter, è domo  
AQUILÆ, ips. Kal. Januar. Anni 1654. Quem  
ut feliciter auspiciemini, eidemq; felicissimum impona-  
tis fastigium, animum voveo.

AMPLISS. EXCELL. CONSULT:

DNN. VRR.


Devindicissimus

LAUR. BODOCK, J. U. D.

Orat. Profess. Collegii Phi-  
losoph, Senior.

Non.





On eum hic producam Virum, qui ad vindicandam hostium injuriam quibusvis periculis caput obiectat; qui pugnare fortiter; præliari intrepide, manus cum hoste conferere fortissimè, mortemq; ipsam per vulnera, per cruorem pacisci consuevit. Non hic Scipiones, Camillos, Annibales aliosq; Duces ac milites generosissimos sistā, qui gladium & hastam robustissima suā dexterā vibrare; qui martia sua vulnera & cicatrices jactare, qui tot millia hostium mactare soliti fuere. Non hic grandia illa belli fulmina, hostium terrores; non fortitudinis bellicæ exempla; Non homines ferreos, operiq; Martio deputatos recensebo. Non eos exhibebo, qui quamvis injuriam ac calamitatem ad animum admittentes, nihil aliud norunt, quam imperterrito animo hostē invadere, quàm sanguinem magnanimiter aut excipere aut profudere, quam in pugna, omni animi moderatione prorsus relegatā, aut mortem hosti vel inimico crudeliter inferre, aut propriam miserè oppetere. Verum producam hic Virum singulari præditum prudentiā animiq; magnitudine, qui cum nemine bellum, nisi cum affectibus suis, velut cum immanibus quibusdam & indomitis feris gerit. Exhibebo hic Virum togatum, qui solis naturæ impetibus frena & habenas injicit; qui non tam cum hostibus, quam secum ipso gloriose decertat; qui inimicos & hostes, qui omnia infortunia, lætissimus, absq; ulciscendi animo conspicit, qui secundo cursu inter invidiam, calumniam, aliasq; calamitates procedit. Hic satius Socrates, Rutilios,



Catones, Aristides, & his familia stupendæ in adversis  
 constantiæ specimina sistam, in illum editum à sapi-  
 entia verticem evecta, ut extrâ omnem infortuni jactum  
 maneant, ut supra ipsam invidiam emineant, ut nulli ca-  
 lumniæ aut infortunio penetrabiles amplius existant,  
 omniaq; incurrentia mala, inexpugnabilis ad instar ada-  
 mantis unicâ patientiâ retundant. Recensebo hic Virum  
 magni animi, summi consilij, altum, excellentem, ma-  
 gnâ sui suæq; conscientiæ fiduciâ munitum, qui quam-  
 cunq; adversitatem benignissime interpretatur; qui ad  
 nullam afflictionem, ad nulla mortalium odia, ad nullas  
 injurias ita alteratur, ut pristinū suū vigorem habitumq;  
 deperdat. Ut vero plura in compendium redigam. Virum  
 hic prudentem de quocunq; statu præclare meritum, in  
 invidiæ, calumniæ, aliorumq; infortuniorum insultu  
 magnanimum, constantem, erectum, alacrem, invincibi-  
 lem, imperterritum, hodierno & posterorum seculo le-  
 gendum, publicæ luci exponam; qui solidum semper  
 colligit ex omnibus malis robur; qui per ipsas clades ma-  
 jus sui capit experimentum; ad cujus pectus quasi ex ære  
 conflatum nulla deveniunt infortunia, & qui deniq; in  
 utraq; fortuna æqualem semper ac uniformem ostentat  
 animum. Ne verò prolixioribus utar ambagibus, vel ex  
 alto petitis verborum blandimentis, primo congressu  
 invadam in arcem ipsius causæ, simpliciterq; ac absque  
 artificio in primis planum faciam, qualem semet Vir  
 prudens exhibet, dum cum vehementi illo ac importuno  
 invidiæ malo luctari cogitur. Nemo sani sincipitis dif-  
 fitetur pestiferum esse & ubiq; locorum serpens invidiæ  
 facinus. Quem enim Orbis locum aut angulum hæc pe-  
 stis non obsedit? Citius me hercule! regionem aliquam  
 uti Cretam reperies, quam aliquem in hac mundi Uni-  
 versitate

Magna-  
 nimus  
 I N  
 INVIDIA.



veritate angulum, quam aliquam Rempublicam, Aulam, quam sacros & profanos cætus à livore ac æmulatione prorsus immunes. Ubiq; proh dolor! rumpuntur seimè invidiâ homines, quod ipsis est nativum vitium, & alienam felicitatem suam interpretantur infortunium. Eleganter sanè Nicomachus. *Difficile fuerit in hac degentem vitâ omnes invidentiam oculos latuisse.* Nec minori elegantiâ Seneca. *Raro ulli homini contigit, ut felicitas ejus effugeres invidiam.* Quænam enim illa sub lunæ concavo prosperitas, quam obscœnus impetere livor erubescat? Quod illud in hiscè terris propugnaculum, quò se quis adversus detestandam tueri valeat invidiam? nullus secessus invenitur, ubi vel ipsissima probitas ab invidia secura delitescat; nullum cacumen quo invidiam declinataura ascendat; nulli montes ad quos se recipiat; nullus equus quò fugiat; nulla sylva in quâ latebras quærat; nulla navis quâ elaboratur; nulla pecunia quâ se redimat; nulli honores quibus semet ab hac venenata belluâ vindicet. quæ quemlibet mortallium, aut dentibus mordere, aut unguibus lacerare, aut pedibus conculcare, aut veneno inficere consuevit. Quâ quid quæso perniciosius? quid detestabilius, quæ Aristidis sententiâ *supremū in humanis delictis obtinet locū, nec ullam meretur veniam.* Quæ Demosthenis opinione *pravitati natura tribuitur, nec ulla causa est ob quam invidus veniam mereatur.* Quæ nihil nancisci potest, quo enormen suam tueatur impietatem si accusetur; nihil quod reclamet, si perturbationum omnium animi foedissima & turpissima esse arguatur. Putidissima sanè ac obstinatissima hæcce bellua, quonam & quanto non digna supplicio? cujus rabiem nulla potest placare dies, quæ anguibus ipsis virulentior, nullis unquam emolitur aut cicuratur beneficiis; nam quemadmodum Scaliger.

Nicomachus in Naumachia apud Stobæum serm. 38. Senec. Consol. ad polyb.

Aristid. Orat. de non agendis Comædiis. Demosth. adversus Leptinem. p. 379. Scaliger lib. IV. Epidor. præcept. 110.



*Angues beneficii cicures efficiuntur :*

*Livor quibus impensius efferatur arox.*

Basil. m. in  
homil. de  
invid.  
Confer.  
Pelusior.  
n. si.

Odio plusquam Vatiniano, hostiliq; in te sæviat animo aliquis, facilè tamen cum beneficentia tuâ mansuefacies; at implacabilem invidiam collatis favoribus amplius irritabis; quantoq; majora porriges, tanto majorem indignationem ac angorem in visceribus ejus sufflamminabis *Plus etenim (ut Basilius scribit) tristatur ob potentiam benefactoris, quam gratiam habet pro his quæ in ipsam conferuntur.* Et ne rabiosissimos etiam canes immani huic monstro postponas. Illi etenim si benignius ac lautius aliquantis per nutrantur, non solum pristinam deponunt feritatem, verùm admiranda quoq; gratitudinis specimina suis rependunt nutriciis ac favoribus. Verum.

Palingel.  
in Cancro.

*Invidia horrendum monstrum sevisima pestis,*

*Exitiale malum, quò non violentius ullum.*

Invidia inquam; ipsâ munificentiam malignior redditur, nec tam lætatur beneficiis quibus afficitur, quam moerore ob tuas facultates ingratißima enecatur, quæ tibi ansam ipsius deplorandam sublevandi sortem suppeditant. Sanè ipsius truculentiam, cum immani Tygridum diritate æquare posses, Velut enim illæ, ad Tympanorum efferantur sonum, & se ipsas ferme præ rabie dilaniant. Non aliter barbara ac inexorabilis, & ex infimo pectore anhelans crudelitatem Invidia, ad bonorum merita vehementiori feritate corripitur, & horribilem satius in se ipsam exercet lanienam, ad omnem malitiam obstinatissima, antequam Viri probi candore cicuretur; antequam ejus benevolentiam, ad humanitatem flectatur. Quis itaq; tam execrabile ac impudentissimæ ingratißitudinis propudium, atrocissimas pro merito esse poenas ibit inficias? vel quis ad minimum omni dedecore infamem invidiam extremo



extremo totius orbis odio non dignam esse arbitretur?  
Sed aliushic Viri prudentis adversus hanc malorum,  
omnium matrem genius, alia indoles. Non enim ille in  
apertam adversus invidiam abripitur indignationem,  
non furore aut odio spurcum prosequitur livorem: Sed  
velut præstans illa gemma Andromadas dicta, quæ nito- *Origen. l.*  
rem argenti semper præsefert, & (si Isidoro credimus) *16. C. 14.*  
animorum impetus ac iracundias refrænât; quam maxi-  
me in invidiâ moderatur animum, concitatas à virulen-  
to livore permotiones réprimit, ac dissipatâ tot affe-  
ctuum caligine.

*Inconcussa locat pura Sacra mentis*

Videns autem calamitosam portenti hujus teterrimi,  
invidiæ videlicet conditionem, non indignatione sed  
compassione prosequitur. Cujus infelicissimam sortem  
quis quæso vocabit in dubium? quæ suis propriis telis se  
ipsam conficit, quæ proprium pectus urit, quæ propri-  
am mentem depravat, quæ proprium cor quasi quædam  
pestis depascit; quæ non aliis sed sibi exitiosa, tan-  
quam mortiferum virus se ipsam consumit. quæ ut ele- *Ovidius II.*  
ganter Ovidius cecinit. *Met. Fab.*

*Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,*

*Sed videt, ingratos, intabescitq; videndo*

*Successus hominum. carpitq; & carpitur undâ.*

*Suppliciumq; suum est.*

Quidni vero sibi supplicium esset invidia, quæ ex  
intestino Viri Prudentis successuum odio, suarumq; ir- *Senec. lib.*  
ritarum desperatione fraudum, ipsi fortunæ (ut Seneca *1. de tran-*  
inquit) obirascitur, tædet sui pigetq; de seculo ipso quæ- *quil. animi*  
ritur, propriæ incubans torturæ. Quid ni sibi supplici-  
um esset scelerata invidia? quæ à suo ipsius flagitio cru-  
deliter punitur; quæ justo DE I judicio, tot & tantos  
experi-



experitur tortores, quot & quantos ipsi obnoxius Vir  
prudens virtutis suæ, famæ, honoris, fortunæq; nactus  
fuerit laudatores. Quem ut perdat invidia perdit se  
ipsam; oculi ejus venenati consumuntur dolores; morte  
vivit sempiternâ, nihil omnino solatij in continuâ pecto-  
ris carnificinâ capiens, propriam etiam ædem, privatos  
parietes quasi in suam conjurantes perniciem execratur.  
Quid ni sibi atrocissimum esset Invidia supplicium? quæ  
alterius rebus marcescit opimis; quæ fortunatos Viri Pru-  
dentis conspiciens eventus arefcit; quæ (ô portento-  
sam invidiæ naturam.) ex ipsius felicitate suum contra-  
hit infortunium, suumq; accersit interitum. Nec mirum  
Quemadmodum enim jacula violenter emissa, ubi ad re-  
nitentem duramq; allapsa fuerint materiam, ad eum qui  
ipsa misit revertuntur: Simili pacto Invidiæ spicula, quã  
primum solidissimum & ex ipsâ constantiâ compactum  
Viri prudentis attigerint pectus, in ipsa invidiæ viscera  
redeunt, ipsiusq; invidiæ insanabilia vel satius lethifera  
vulnera fiunt. Et hæc crudelissima Invidiæ tormenta  
Vir prudens cernens, quæ ipsas Phalaridis, Agathochlis,  
Dionysii Siciliae Tyranni superant lanienas, non tam  
irâ quam commiseratione eandem excipit. Dum verò  
ipsa lividos luscusq; in ipsum conjicit oculos; dum ipsi  
occultas molitur insidias, dum in eum quid agat? quo-  
modo vivat? inquit; ipse honorificam sibi incumbere  
necessitatem arbitratus, omnia dicta, factaq; sua, ad recti  
honestiq; normam, ad majorem nominis sui existima-  
tionem, ipsa ut stolidissimâ non olfaciente componit, &  
quasi ipse invidiæ tortor esset, Epicteti consilio, ita se  
ipsum comparat, ut optimis quibusq; ac præclarissimis  
factis, famam suam, freudente invidiâ illustret. Si vero  
invidia, præclarissima etiam ejus carpere non erubescat  
opera;

Anton. Me-  
lissa. par. I.  
Ser. 71.



opera ; minime commovetur, risu explodens illius stultitiam, quæ aliorum vitia linceis intuetur oculis, propria vero, ut talpâ cæcior non conspicit, ita sempiternæ mancipat oblivioni. Cum autem noverit Vir Prudens nulla vel præstantissima in Orbe inveniri posse facta, quæ Momum eadem carpentem non fortiantur: Cum noverit, res vel optimè gestas, invidiæ facillimum esse reprehendere ; at illas cum celebritate nominis gerere, non illi sed perpaucis, qui gloriæ ardent cupiditate concessum esse. Cum deniq; noverit, nec Periclem licet eloquentiâ nemini secundum ; nec Themistoclem rerum gestarum gloria famosissimum ; nec Platonem sapientissimum ; nec Solonem Optimum ; nec Dædalum artificem ingeniosissimum, morosas & frigidas petulantissimæ invidiæ cavillationes declinare potuisse ; eundem tenorem in decentibus suis actionibus constanter servat, spretâ invidiâ magis ac magis præclaris conatibus ad solidâ gloriam assurgit, animosè Specimina sua aprico exponit Soli, ipsiq; invidiæ frementi legendum inscribit

*Facilius hac culpabis quam imitaberis.*

Præterea quis tam ignarum Virum Prudentem autumabit, ut nesciat quænam perfrixtæ frontis ingenia invidia obsederit? quæ scelestos ac nefarios possedit homines; quæ improbos scurras & profigatos nebulones, mera hominum monstra sibi delegit, quorum vita omnibus flagitiis est inquinata, quorum extinctum est in cerebro iudicium, quorum sepulta in mente ratio, quorum nulla in corde conscientia, quorum nullus est in animo DEUS. *Neminem enim bonum quicquam invidere, sed omnia juvare atq; exornare solere, asseverat Galenus. Virum bonum non invidere, esset enim improbus, affirmat Aristoteles. In bonum nullam adversus quicquam aut ullâ de re cadere*

*Galen. lib. XII. de usu part. c. 6.*

*Arist. II. Top. 2.*

B

*invidiam*



Plutarch.  
l. de fato  
Basil. ho-  
mil. de in-  
vidia.

*invidiam* recenset Plutarchus. Et *quemadmodum boni est nemini invidere sic Diaboli propriam esse invidiam* commemorat Basilus. Quis etiam & eam inscitiae notam Viro Prudenti inurat, quasi illum lateret quod invidia eorum saltem occupaverit animos, qui è puris technis fuscisq; compositi, qui ad Sycophantias sculpti, non aperto palam Marte cum homine bono congregiuntur, & velut venenati scorpium de caudâ nocent, de postumoq; corporis improvidam sauciant innocentiam? Quis tam rudem Virum Prudentem arbitrabitur, ut ignoret quod sordidus livor, in putidissimis, ac abjectissimis animis, prava sua consilia in tenebris volventibus delitefcit? Quippè *apud humiles duntaxat animos* (inquit Lipsius) *habitat; & in altos dirigitur, livida illa Dea.* Et ut Ovidius cecinit.

Lips: Cent.

I Ep. 41.

Ovid. 3. de

Ponto.

Eleg. 3.

v. 10.

*Livor iners vitium, mores non exit in altos*

*Utq; latens ima vipera serpit humo.*

Novit id optimè Vir Prudens, ideoq; parvi facit colluctatricem fortunatorū; flocci pendit turpissimam, & à foedisimo hominum genere obsessam invidiam. Cum verò omne id quod communem excellit sortem, æmulationi invidiæq; sit obnoxium. Cum invidia ad summa ferme tendat, & altissimis quibusq; assidua eminentis fortunæ comes adhæreat. Cum invidia suis ipsa tormentis occupata, nil cogitet aliud, nisi eorum quos odit felicitatem. Cum edax & inimicâ semper alienis successibus illustribus maximè & admirandis actionibus graves calumnias ac odia conflare soleat. Cum individua virtutis socia, soli virtuti enitescenti adversetur, eosq; maximè ægro introspeciat oculo, quos unicâ virtus ad summa quæquè prorexit. Cum deniq; eos præcipuè infectetur, qui sublimè attolluntur, qui



qui ad laudem ac gloriam impensius proficiunt; qui nil nisi præclara quæq; animo volvunt, aut exequantur. Ideo Vir Prudens semet eorundem numerum cætumq; augere, cum summa animi modestiâ autumans; non miratur quod ejus quoq; integritatem ac virtutem livore suo afficiat; non miratur quod in illum quoq; suam acerbitem ac stimulum conferat; non miratur, quod instar Cantharidis syaveolenti rosæ incumbentis, eundem ad famam & gloriam indefesso gradu contendentem corripiat. Non miratur, quod instar vulturis præteritis rebus odoriferis, ad foetentia cadavera properantis, ac instar muscæ saluberrimis corporis membris spretis ad incuentia nauseam vulnera festinantis; quod inquam vitæ ejus probissimæ splendorem, recteq; factorum magnitudinem ne quidem aspiciat, at in nævos aliquos, à quibus nulla immunis potest esse mortalitas, velut in marcidam putremq; irruat materiam, ab hacq; solâ ipsum notum reddere cupiat. Momus ille Deaster amentissimæ dicacitatis rogatus quid de Venere in Deorum Concilium productâ, omniq; mundo muliebri exornatissimâ sentiret? non attendens quod venustissima ejus species cœlestium consortio placuerit, omniumq; oculos admiratione suspensos inflexerit, livoris plenus inquit *Sandalum habet nimis stridulum & argutum.* Similem fanè experitur Vir prudens invidiâ, quæ præclarè gesta illius, omnium bonorum promerita laudem & favorem reprehendit, & cum meritorum ejus ac facinorum decora exilis pectoris angustijs, ac depravato suo judicio capere non possit, minutias quasdam, quasi *calceoli strepnum* exagitat; nævos vel minimos humanæ imbecillitatis, impudenter vellicat, digna ut *bonorum clandestinè mordentem cimicem nuncupes.* Quam vel ideò nè pili quidem Vir prudens æstimat;



Plutarchus  
de curiosi-  
tate.

æstimat, quod cæcam illam ipsam esse cernat, nec quidquam aliud scientem, quam detrectare virtutes, honores ac præmia Virorum præclare meritorum corrumpere. Et si quilibet Lamiam illam deridere poterat, quæ cum foras egrederetur fictitiis oculis omnia curiosissimè lustrabat; dum vero domum rediret, eosdem vel ad fores appendebat, vel in vasculo reponebat. Certè potiori jurè Vir prudens deridet Invidiam, quæ suos errores ac nævos quantà potest curiositate odoratur, quæ domi propriæ nullos habet oculos, quæ in propriis flagitiis scelerata cæcutit. Et non solum deridet, sed quoq; velut ipsius Dæmonis spectrum despicit, supraq; ejus convitiâ scommata, ac technas eminent, se ipsum in cœlestium contemplationem librat, liberè invidiæ occinens.

Aelian. l.  
de animal.  
c. 29.

*Nil humana moror, dum super astra feror.*

Et quemadmodum Ibis Avis Ægypto peculiaris, in palmis ad evitandum felium impetum ac morsum ( ut Ælianus refert ) nidificat; Sic Vir prudens, ut venenatos invidiæ effugiat morsus, in ipsâ virtute, in excelsis & divinis cogitationibus, in egregiis operibus, ipsâ invidiâ omnibusq; vitiis & casibus humanis superior conquiescit, virulentamq; hanc cæcè felem optimorum quorumq; Virtuti insidias struentem, non absq; contemptu alloquitur.

Silius Ita-  
licus. Vir-  
tutem de  
se prædi-  
cantem in-  
troducens.

*Castâ mihi domus, & celso stant colle penates.*

*Ardua saxoso perducit semita clivo,*

*Aspera principio.*

ad extremum infestis felis hujus clamoribus, maledictis videlicet laceffitus, eam ex eminenti loco aspernatur; ad cœlumq; velut palma luxuriosâ ramorum propagine assurgens.

*Conscia mens recti fama mendacia ridet*

Quâ



Quâ munitus & armatus vilipendit sinistra invidiæ  
judicia, curam subsequenti seculi gerit, eximia sua eò  
dirigit acta, ut candida posteritas ringente invidiâ  
favorabilem ipsius ac decentem conservet memoriam;  
neq; ideo indignatur, si quæ in eodem animi deliquia,  
magnis etiam mundi luminibus communia perstringat. *Dion Halicarn: lib. 8.*  
Cum ( ut Dion Halicarnasseus scribit ) *Non potest omnes  
virtutes humana natura capere; nec unquam è mortali semine  
nascetur, qui sit omnibus bonitatis numeris absolutus.* Sanè quo  
magis generosum Viri Prudentis excutio pectus, eò  
clarius eum, naturam & mores Aquilæ æmulari conspi-  
cio. Si etenim Aquila vilissimum cornicum agmen præ-  
clare contemnit, & excelsâ quadam animi magnitudi-  
ne, earum infra se volantium lapsus despicit. Sic heroica  
Viri prudentis mens, ad decus & ornamentū nominis sui  
assurgens, ne conchâ quidem dignatur obstrepentem,  
invidiæ, velut exilis corniculæ malignitatem, & quò ma-  
gis illa obstreperit, eò ille nititur sublimius, ac infra se vo-  
litantes invidorum corniculas irridet dicens.

*Solâ virtute sequantur.*

Si quoq; Aquila ubi crepera irruit tempestas, ubi  
obscura nubium ac imbrium procella cœlum occupat,  
solito phœbi lumine paululum carere coacta, ad loca se-  
met humiliora demittit; at quamprimum cœlum ad pri-  
stinam semet recolligit serenitatem, quàm primum Sol  
dissipatâ tempestate radios suos exerere incipit, mox in  
priorem erumpit sublimitatem, mox ad altissimum cœli  
evolat fastigiū. Non aliter Vir Prudens, dum aliquando  
per invidiam in angustias coniectus, candidiore fortu-  
næ ac favoris destituitur Sole, secedit paulisper ex invi-  
diæ consortio, ac intra privatos, furente livore, cōtrahit  
sefe lares. Interim in mediâ invidiæ tempestate, non de-



spondet animum, forti ac masculino pectore atroces pro-  
cacis invidiæ insultus solet excipere, deniq; alacri men-  
te & infractâ

*Per varios casus, per tot discrimina rerum*

*Durare & semet rebus servare secundis.*

Et quanquam Invidia perniciosissimum sit optimis  
telum. quanquam illa magnos etiam oppresserit ac pe-  
remerit Viros. quanquam sola voluntate, ac ipso afflatu  
malefica, multorum præclarorum mortalium facta à  
prospero abstraxerit successu. quanquam plurimis fune-  
stam præter merita conciliaverit perniciem. Quanquam  
Anacharsim sermonis & disciplinæ gratiâ è Græciâ  
servatum, domo & patriâ eijcerit, ac per crudelissimum  
fratrem sagittâ interemerit: Quanquam Demetrium  
apud Athenienses clarissimum, absentem etiam, crudeli  
& iniquo decreto ad immeritam mortem condemnave-  
rit. Quanquam Pisonem falsi criminis insimulatum con-  
spiratione oppresserit. Quanquam Belisarium Virum  
fortunatissimum, Romanorum olim dexteram, copia-  
rum Justiniani Victoriosissimum sæpius Ductorem,  
omnibus fortunis spoliaverit, oculisq; erutis eò ade-  
gerit, ut cervicem propriam carnifici dissecandam præ-  
bere coactus fuerit. Quanquam & ad hanc horam innu-  
merabiles optime de Republica, Ecclesiâ meritos, de ho-  
norum fortunæq; culmine, in ignominie abyssum præ-  
cipitet. quanquam hæc latrocinatrix, cædibus ac cladi-  
bus gaudens venefica, solis fraudibus ac dolis oblectari  
consueta, laudalilem ac sanctissimam aliorum vitam,  
tragico ac deplorando exitu dehonestet. Non tamen  
hiscè & talibus exemplis, Vir prudens, animum suum de  
statu constantie vel latum unguem dimoveri patitur.  
Verum spè fortissima præditus, conscientiam meritorum  
insultus,

Diogen.

Laert. lib.

I. in Vita

ejus.

Idè Lib. V.

Tacit. III.

Annal. c. 16

Manass.

in annal.



fuffultus, & quod præcipuum, Divinæ Providentiæ clementiâ animatus, sperat lucidiores aliquando Soles; sperat virtutem suam majus aliquandò habituram pretium; sperat infelicissimum suo tempore, (quod tamen minime vovet) Invidiæ, nisi resipiscat exitium; sperat se non solum è tyrannide sevitiæq; ejus, Divino subsidio elutaturum, sed & ex ipsâ ærumnarum memoriâ, quas illi invidia intriverat, ingentem animi voluptatem percipiturum. Nam (ut Cicero) *habet præteritò doloris secuta recordatio delectationem* & (ut Seneca)

*Quæ fuit durum passi  
Meminiſſe dulce est.*

Si vero hocce Divinum esse intellexerit placitum, ut vel ad extremam vitæ caducæ metam, cum hac truculentissimâ luctetur bellua; non ideo deprimit animum, non ideo relictâ virtute, otio, inertia, aliisq; flagitijs semet devovet. Currit constanter in stadio virtutum. His se vel ultimis spebus consolatur, quod ubi circumscripta mortalitas suum assequuta fuerit terminum, demptâ invidiâ, ipsa ejus virtus magis magisq; semet extollet; quod ubi mors extinxerit invidiam, res ejus prudenter & candidè pro bono publico gestæ sempiterni olim nominis gloriâ iplendescet; quod ipsi gratisima posteritas debitum rependet decus, pravam invidiam perpetuâ mulcabit ignominiâ, rigidisq; suppliciis in ejus adversus se iniquitatem animadvertet; quod deniq; in eò, si non vivò tunc mortuò capitalis conquiescet invidiâ, quem vivum oderat, mox post funera quæsitura, & quod vivo denegaverat, nomen famigeratissimum ab ipsis tributura exequiis, ut ingenuè hinc dicere possit, cum Ovidio

Cicero l. 5.  
fam. Ep.  
Seneca in  
Hercule  
furente.

Ergo



Ovid. lib. I.  
amor.

Eleg. ult.

Ovidius  
ibid.

Horat. l. 3.

Od. 24.

Dio Cass.  
lib. LIX.

*Ergo etiam cum me supremus adufferit ignis  
Vivam, parsq; mei magna superses erit,  
dicere posset cum eodem*

*livor post fata quiescit.*

*Tunc suus ex merito quemque tuetur honor.  
dicerè posset cum Vate lyrico.*

*Virtutem incolumem odimus*

*Sublatam ex oculis querimus invidi*

O stupendam Viri Prudentis in invidiæ insultu constantiam. Qui non enormem illam Caij Caligulæ æmulatur dementiam, qui non solum Neptuno ac Dijs alijs sed & Livori ne quâ premeretur invidia sacra faciebat. Citius enim vel infami laqueo vitam finire vellet Vir prudens, quam ut invidiam, vel privatis placans precibus, virtutem animi sui vel minimum contaminaret.

*Hoc Jethacus velit, & magnò mercentur Aetida;*

Non vero Vir prudens, qui constantiâ & tolerantia suâ exercet potius hujus noctuæ oculos, claram lucem, perferre insuetos ac impotentes; ad honestiora verò ac præclariora, non tam ire quàm per invidiam perumpere satagens, animo eandem tolerat æquissimo, ferendo leviozem efficit, ferendo superat quam mutare non potest. Videns autem vitam mortalium nil aliud esse nisi tesserarum lusum, in quo hic lubrici citoq; transitorij honoris portiunculam perdit, quàm ad se meritò spectasse autumavit; iste vero eandem præter spem & meritum lucratur, ad quam non magis idoneus quam asinus ad lyram, aut canis ad aratrum. quid quæso hic molitur & agit? Alter profecto Mitio Terentianus à Demeâ olim interrogatus, heroico quasiq; duplici corde præditus loquitur

*Mutare*



*Mutare nunc quum nequeo, equo animo fero,  
Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris,  
Si illud quod est maximè opus jactu non cadit,  
Illud quod cecidit, fore id ut arte corrigam.*

Seneca de  
beatâ Vitâ

Et sic constantissimum se in invidiâ præstans, sævi-  
entem ad breve tempus fortunam, in sui ipsius adjuto-  
rium, in sui majorem nominis celebritatem, in solidio-  
rum honorum augmentum, pudore victam, in fractâ in-  
structus mente, eandem cum Senecâ compellat. Geme  
teterima, geme squallida, geme macilenta, & infelicem  
etiam linguam meis exerce convicijs. Insta, commorde,  
multò citius franges dentes quàm imprimes. Illustratur  
Virtus nostra per ea ipsa per quæ petis, nec ulli magis  
intelligunt quanta sit, quam tu, quæ vires ejus laceffendo  
sensisti. Affiliis si placet, fac, & repete insana impetum,  
ferendo tē vincam. Vel quod tuo majori suaderem bo-  
no, quære tibi potius mollem aliquam cedentemq; ma-  
teriam, in quam imbecillima tua tela infigas. Sapientif-  
sima sanè Viri Prudentis, in sustinendâ quam mutare,  
nequit invidiâ Indoles. Novit etenim omnem iram,  
omnem indignationem crescere in dolorem & tormen-  
tum sui, nullumq; jugum esse quod non arctius premat,  
refractarium quam spontè sequentem. Sentit præterea  
in omnibus fere casibus humanis hoc fieri, ut eos pa-  
tientia molliat, impatientia crudeliter exasperet. expe-  
ritur vulnus nihil tam crudum facere, quam ferendi im-  
patientiam. eruditur quoq; vel à piscibus, qui hamo pen-  
dentes, si eum semoveant aut quassent, magis intrican-  
tur. instruitur vel ab aviculis visco aut plagis deceptis,  
quibus si se explicare conentur, magis implicantur & ob-  
linuntur, dumq; (ut Ovidius)

C

pugnans



*pugnando vincula tentant*

*Rumpere; pugnantem fortius illa tenent.*

Quare hisce commonefactus exemplis forti pectore  
sustinet invidiæ malignitatem; æquam mentem in ipsius  
furore retinet, & ut cum Horatio loquar

Horat. in  
Od.

*Sperat infestis, metuit secundis*

*Alteram sortem bene præparatum pectus.*

Quod si tandem DEI Optimi providentia, Virum  
prudentem, in frementem invidiam, per excelsas animi  
dotes, ad sublimius fortunæ & famæ cacumen evehat. Si  
ille livore reluctante, præter spem & expectationem  
malevolorum, majorem felicitatis splendorem nactus  
fuerit, ne vitiosæ quidem præfert nuci invidiam, nul-  
lum ipsi amplius dispendium creare valentem. Veluti  
enim Sol in ipso cœli fastigio situs, supra cujus verticem  
radios suos vibraverit, illius umbram aut minimam red-  
dit aut planè extinguit. Viri prudentis similiter felici-  
tas, virtute ac insignibus parta meritis, cum jam Deo di-  
spensante, invidiamq; plectente, summam altitudinem  
attigerit, ubi nefandum invidiæ sinciput fulgore suæ  
fortunæ petierit, splendoremq; suum supra impium illud  
cerebrum sparserit, eam prorsus aut attenuat, aut propul-  
sat, aut extinguit. Non amplius moratur invidiam, sed il-  
lam, ut omnia mortalia infra suam magnitudinem pedi-  
bus calcandam protrudit; illam magnarum rerum,  
amplitudine superat, de illaq; celeberrimum, cum omni-  
um admiratione reportans triumphum, confidentius de  
se quam olim Horatius canit.

Horat. Od.

*Non usitata nec tenui ferar*

*Pennâ, biformis per liquidum æthera*

*Vates, neq; in terris morabor*

*Longius, invidiâq; major*

*Urbes relinquam*

Sin



Sin vero factorum iniquitate invidiæ succumbere,  
 Vir prudens cogitur, pectus æquissimum velut optimum  
 ærumnæ condimentum in illâ exhibet, necessitati suæ  
 lubens obsequitur, asperitatem ejus placidâ lenit tole-  
 rantia; *potiorem & meliorem* (cum Pindaro) *commiseratio-* Pindar.  
*ne invidiam* censens, *Satiusq;* (cum Herodoto) *invidiosum* od. I. pyth.  
*quam miserabilem esse* judicans. Mira & inconcussa Viri Herodot.  
 prudentis in perferendis invidiæ spiculis natura. Sed l. III. c. 52.  
 nec min<sup>9</sup> mirum in illis ipsis, summis artificijs retunden-  
 dis ejusdem ingenium. Nam ubi inprimis aliorum invi-  
 diâ semet gravari advertit, rerum secundarum (ut po-  
 test) præstantiam, quâ livor exardescit atq; inflammatur,  
 contrahit, fortunæ fulgorem complicat, non se ingerit Senec. Ep.  
 (Senecæ consilio obsecundans) invidiæ oculis, confve- 205.  
 vitq; ad eludendam aut infringendam invidiam in sinu  
 gaudere. Nam quasi ad Clypeum confugit, qui bonum  
 suum adversus livorem ejusq; ictus protegit. Et ut decus  
 æternum ævi sui Scaliger.

*Fovet invidiam magni loquus sui superbus.*

*Caret invidia muneris estimator equus*

Vel ut non postremum inter Elegiographos obtinens  
 locum Tibullus.

*Nil opus invidia est, procul absit gloria vulgi*

*Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.*

Sumit exemplum ab incomparabili Oratore Tullio,  
 qui quanquam invidiæ adversus alios vitio caruerit,  
 nulloq; flagitio vitam suam contaminarit, nihilominus  
 quod liberius seipsum prædicare, & quidem coram illis  
 qui gloriam ejus lippis intuebantur oculis solitus fuerit,  
 offenderat plurimos, ingentemq; sibi invidiam confla-  
 verat. Sumit exemplum à pluribus alijs, qui fortunam  
 faventiosem, & ad sublimiores honorum gradus, illos



ipfos evehentem, non bene tulerunt, non reverenter habuerunt, & instar utrius inflati, impudentius bona sua jactantes, omnium invidiæ ac odio expositi, tandem ex honorum solijs, in extremæ calamitatis ac infamiæ barathrum detrusi ac præcipitati fuerunt. Sumit exemplum vel ab ipso Coruo, de quò eleganter plurimæ urbanitatis auctor Horatius.

Horat. lib.  
I. Epist. 17.

*Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet  
plus dapis, & rixam multò minus invidiæ,*

Et sic horrore silentij suam supprimit Vir prudens felicitatem; non aureos montes, & gemmarum rivos jactat aut pollicetur; frenos sibi spontè imponit; non rebus prosperis ultrà terminum moderationis evehitur; non se felicitate corrumpi patitur, quæ vitro similis resplendet quidem brevi temporis spacio, sed levi momento, vel ad unicum invidiæ insultum frangi consuevit. At non desunt plures Viro prudenti modi, quibus Invidiam aut declinare, aut etiam decenter suppressere possit. Nullæ reverà sunt periculosiores insidiæ, quam quas invidia machinari consuevit. & non audet meticulosus livor in publicum cum Viro prudente certamen prodire. virtutem ejus magnanimam unicum ipsi & firmissimum præsidium, ac certissimam suam expavescit perniciem. in latebris saltè, venena sua, hicce Scorpio, & quidem occultissimè diffundit, ut saltem à longè vel ipso foetore enecet. Non tantum animi, nec tantum possidet virium, ut aperto Marte imbellis & effoeminatus livor cum Viro prudente congregiatur, clam solummodò famæ & fortunæ illius insidias necit. Quid vero cum hoc prodigio Vir prudens agit? Certè *hostes suos decipere non modò justum esse & laudabile*, censuit olim Agesilaus, sed *Plutarch. s'vae etiam ac juvandum, Vim divini iudicij aut attenuare aut*  
*contemne-*



*contemnere eum qui hosti suo, cum peritur, indulget; justitiâq;* in Lacon. Apophteg. Ennodius in Vita Epiphani.  
*coercendos esse, quos constat gratiam non sequutos* Theodoricus affirmavit. Non desunt & illi, qui vel ab ipsâ radice, extirpandam esse invidiam opinantur, nè virtutem ac innocentiam bonorum opprimat, nè insignes animi eorum dotes pessundet, ne famam eorundem non absq; sudore partam, in dedecus aliquod aut dispendium protrudat; ad imitationem absq; dubio Pontij Telefini, qui Romanis dictitans ultimum adesse diem, vociferabatur *eruentam delendamq; urbem, simulq; adijciebat, nunquam defuturos raptores Italica libertatis lupos, nisi Sylva inquam refugerent esset excisa.* Simile à plerisq; Politicis suppeditatur consilium adversus virulentam invidiæ malitiam, quæ nisi funditus exterminetur, quotidie fermè sanguinolenta de famâ, fortunâ, vitâ innocentum comitia celebrans; actum erit de Viris præclarissimis, & nec ipsa Virtus à dispendio, nec probitas à clade, exitio, immunis & tuta permanebit. Nihilominus tamen hocce non exequitur Vir prudens consilium, honestius & vel efficacius arbitratus, si consilio potius quàm temeritate Invidiam superet; si prudenti dissimulatione ipsam ulciscatur, quam si futili & lubricâ virium ferocitate fretus, in eam subito feratur. Sufficit Viro prudenti, si invidiæ consuetudinem, si ingenium ejus versipelle exploret; si ipsius fraudem in perniciem suam intentam investiget, eamq; postmodum in ejusdem interitum retorqueat. Cam (ut exactæ mentis scriptor Ennodius scribit) *grandis cautio sit, adversarij animum cognovisse, eecnim hostem protinus sensisse, superasse est.* Sufficit deniq; Viro Prudenti, si agnitis invidiæ technis, ejus malitiam eo ipso debilitet; si aculeum Scorpionis huic, qui optimis saltem quibus succus est & sanguis insidiatur, detrahat; si vires invidiæ

Velleius  
 lib. II.

Ennod. in  
 Vita Epi-  
 phanij.



tabescenti auferat. Et cur non auferret Vir prudentissimus? qui, ubi sic necessitatem postulare animadvertit, imminentem invidiam præcavet satius quam expectat. Summam professionem stultitiæ esse autumans, non ire obviæ invidiæ cogitatæ, sed durare illam, ut quum virum suum adversus innocentiam evomuerit, dum deniq; quod factum est infectum fieri non possit, inutilitèr poeniteatur. Obsecundat ille Philosophi monito, & sic invidiam ac malevolentiam prævenit, quemadmodum sagaciores medici, mortalium consuetos prævenire ac præcavere morbos consueverunt. Cæsari disertissimo illi narratori obtemperans, non modo perversa invidiæ facinora in suum directæ interitum, sed vel abstrusissima propulsat consilia, & antequam illa exoptato, sibi verò pernicioso potiatur eventu, in ventum dissipat, ludibrio omnium exponit, stolidæ ac exanguis Invidiæ, quæ tantas nugas tanto conatu, in famæ & fortunæ ejus diminutionem, in dementissimi sui cerebri officinâ procederat, sempiternas foedisimæ turpitudinis inurit notas, omnesq; tandem fraudes & dolos, quos in ejus existimationis aptaverat ruinam, in ejus ipsius inelubilem labem, in atrocissima infamiæ stigmata, in extremam deniq; ac irreparabilem convertit cladem. Sic, ut omnium colluvione scelerum contaminata invidia, ipsissimæ consentaneum esse veritati sentiat & experiatur, quod. *Quisvis improbus prius malitiam suam ipse bibit & degustat, priusquam in alios emittat.* quod

Aristot. 1.  
Rhetor.  
c. 12.  
Dion. Cass.  
lib. 38.

Hierax ap.  
Stob.  
Serm. 10.

Menander

*Malum qui iniquè machinatur alteri  
is ipse ante patitur ejus exitum*  
quod deniq;

Seneca  
Hercul.  
furem.

*Quod quisq; fecit patitur: autorem scelus  
Repetit; suozq; premittitur exemplo nocens;*

Sed



Sed præter hæc, in hoc quoq; ipso Vir prudens ge-  
 nerosam in invidiâ, calamitate, æmulatur Aquilam.  
 Velut enim Aquila (ut Albertus recenset) in multitu- *Albert.*  
 dinem vilissimam cornicum aut psittacorum, tunc im- *Magn.*  
 becillior incidens, ab illis semet vel invita deplumari *anim. lib.*  
 permittit: verum suò & opportuno tempore meminit in- *8. C. 2.*  
 juræ, datâq; occasione, obvias meritò vindicat corni-  
 culas. Non dissimili Vir prudens pacto, dum plerumq;  
 à vilioris conditionis invidiâ, ab ingratisimis nebulo-  
 nibus, in angustiam aliquam redigitur, & indignissima,  
 quæq; suis meritis patitur, concoquit prudenter iram in  
 pectore; at postquam se opportuna exhibet occasio,  
 postquam ad meliorem assurgit fortunam, severè in li-  
 voris animadvertit malitiam, satq; munificè, DEO sic  
 permittente, illorum redhostit ac rependit fraudes. Qui, *Seneca;*  
 ut cum Senecâ sapientissimo loquar) lentus quidem est *præf. lib.*  
 sed certus vindex generis humani, & magna exempla in *X. Oontro-*  
 caput invenientium regerit, ut justissimâ patiendi vice, *vers.*  
 quod quisq; alieno excogitavit supplicio soepè excipiat  
 suo. Tentet saltem invidia, tentet malevola, tentet do-  
 losa, quidquid illam contumax jubet impietas. Struat  
 latentes Viro Prudenti insidias, quem aperto opprime-  
 re Marte non potest; per meras fraudes, velò pietatis  
 obductas, & nomini ejus, & honori, & fortunæ, & vitæ  
 insidietur. Seducent eam brevi, (credat) improbi livo-  
 req; pleni conatus; futuram sibi suo tempore fabricat,  
 perniciem, dignâ tanto facinore tantaq; iniquitate mer-  
 cedem. Sive enim aliquo temporis interstitio Vir pru-  
 dens, illius dissimulet dolos, quos luce clarius meridia-  
 nâ intuetur, matura tamen satis de ipsâ sumit supplicia;  
 tempestivè fraudulentos in ipsius caput revolvit ausus;  
 opportunè clavum clavo, paxillum paxillo protrudit.  
 Nam



Nam Vir Prudens, obstinatâ invidiâ, & quæ nulla in vi-  
tâ benigniora admittit remedia, correptus, Conchæ non  
disfimilis mihi videtur. Quemadmodum enim illa fir-  
missimâ prædita testâ (si Plinio fides habenda) Poly-  
pum mollissimâ contectum cute, ejusq; maximè avidis-  
simum, ad solum tactum comprimit, brachiaq; illius  
præcidens, ultrò escam ex prædante capit. Non aliter  
quandoq; Vir Prudens, putidissimam invidiam, velut  
mollem polypum, nomini suo, honori & fortunæ, rebus  
in mundo pretiosissimis ac delicatissimis inhiantem  
corripit; & ubi illa Viri Prudentis omnia bona se de-  
prædaturam imaginatur; Vir prudens omnes ipsius vi-  
res, omne robur, omnem auctoritatem enervat, hanc suæ  
existimationis salutisq; prædatricem egregiè prædatur  
& perimit; ita ut cæteri tam luctuosum Invidiæ cernen-  
tes exitum, cum quodam occinere possint.

*Cassa fuit miseris infanda machina fraudis*

*Et magno ventura malo, nutuq; supremo*

*Incidit in foveam quam foderat, improbus hostis.*

Et quid verò tunc insana invidia? Velut Polypus  
(ut Ælianus recenset) edacissimus, ad insidias alienas  
callidissimus, non contentus alijs cibis, sua etiam mem-  
bra miserè conficit, & deficiente alio pabulo, brachia  
propria sui ipsius tortor devorat. Eum in modum male-  
dicta invidia, Viri prudentis famam & fortunam iniquè  
appetens, propriâ ipsa tabe conficitur; vorat vel propria  
viscera, ut atrocissimus sui ipsius carnifex, & (ut Pro-  
sper acerrimus Pelagianorum hostis scribit) *odia inter se  
abscondit & in suos cruciatus enutritur.* Quàm nihilominus  
rarissimè, nec nisi DEI permisso ipsiusq; Invidiæ culpâ,  
Vir prudens vindicat; Soëpissimè autem pacatò vultu  
eandem, ut benevolentiam excipit, placido ac sedato  
sustinet



sustinet pectore, ad ejus incursum invictus ac interritus est, ex vitæ conscientia, ex illibata integritatis sensu plenus fiducia, plenus animi, contra invidiam procedit; velut fera generosior ad livoris velut canis latratum lentè respicit, & plurimum ne aspectu dignatur. Novit enim pridem. *Ut iter facientes per Solem necessario comitatur umbra; ita incedentibus per gloriam comitem esse invidiam.* Novit, *Ut flamma firmior non surrexit unquam sine fumo.* Sic nec famam clariorem sine aliqua livoris nube reperiri. Novit vel ipsum Solem deliquia sua pati, & pallidum lunæ vultum noctis colore tingi, & vel præclarissimæ famæ lumen invidiæ nebulis obscurari. Novit, quidquid hæc mundi Machina elegans, quidquid præstantissimum in se complectitur, defectus suos nævosque habere, si non à se semper, ab invidiæ saltè protervia, quam qui contemnere didicit, jam fregit, deiecit, suppressit, superavit.

Stobæus de  
Invidia  
Serm. 38.  
Lips. Cent.  
I. ad Belg.  
Ep. 14.

Vidimus jam insignem viri prudentis, in superanda invidia indolem: nunc in eum, calumniâ. (quæ hæret in pessimæ naturæ medullis, nec jam inter culpas censetur sed mores) oneratum, oculos conijciamus. Fateor, acutissimum telum est calumnia, & non tam corpus quam famam omnibus bonis, imò saluti & vitæ præferendam saucians & penetrans. Fateor, crudelissimam esse calumniâ, quæ ferocissimâ suâ linguâ, tot innocentes & opibus & fortunis exuit; nominis famâ & estimatione præclarâ privat, & verò in vitæ sæpè numero periculum conijcit. Fateor fulmen esse terribile, quod improvidos & insperatos homines antè perimit, quam discrimina significet; quod vilissima & humi serpentina negligens, firmissima quæque ac altissima impetatur: quod non contentum vulnere, ipsa emedullet ossa,

D

& quid-



Demosth.  
contra  
Aristogit.

& quidquid erat boni sanguinis, improbo æstu suo decoquat Fateor, calumniam summorum in Orbe odiorum fomitem esse ac sentinam; diciq; non posse quanta scœpissimè & quam tetra odiorum incendia, unius calumniæ lingua improbè ventilata excitarit. Fateor huncce orbis terræ Phaethontem, in omnem ætatem, sexū, ordinem debachari. *Incedit calumnia (ut Demosthenes inquit) vipera instar erecto aculeo, huc atq; illuc saliens, circumspēctans cui calamitatem aut maledictum, aut malum aliquod offerat.* DEUS bone! quot Viros claros, Illustrés, bene meritos, bonis, honoribus, famâ, vita ipsâ crudeliter spoliavit? & quam lugubres ad hancce horam, cum illis Tragœdias peregit? Nihil tam sanctum est quod illa tentare non audeat. Nec ullus forte repertus est mortalium, quem virus ejus non afflaverit? Neq; illa jus scriptum legesq; Atheniensium tanti facit; Spernit Solonis legem *πὴν τὴν ἐν ἡμετέροις κακίως μὴ ἀγρεύειν. Mortuo non est maledicendum,* & in defunctorum etiam qui jam æviternum nacti sunt judicem, vitam & mores, impurissimum os suum solvit. Cur enim mortuos execrabilis hæc furia sineret? quæ in Deum ipsum, omnium bonorum fontem & originem blasphemus linguæ suæ dstringit, aculeos, ac in ejus facta & consilia maligne inquirit. O ineffabilem calumniæ virulentæ malignitatem! quam tamen Vir Prudens uti invidiam, Heroico animo contemnit. Regium esse cum Alexandro autumans malè audire cum benefaciat. Contemnit hancce plagiatricem, undiq; dente maledico vitam & famam alterius lacerantem, & quæ ad nullam virtutem prona, sed ad solos saltem Viros Optimos infamiâ deformandos solers est & callida. Contemnit furciferam quæ meliores obtrectare mavult quam imitari, & quorum similitudinem desperat,

rat,



rat, eorum affectat similitatem. Contemnit pessimam, hanc cœ famigeratricem, hanc cœ sordidam Libitinam, quæ hoc propositi habet, ut impudentissimis mendaciis, ut innocentum dedecore innotescat, & per ruinam bonorum existimationis ad famam grassetur. Contemnit hoc notissimæ deformitatis propudium, quod instar Speculi olim in Smyrnæ templo collocati, egregias quasq; species deformes & aspectu horribiles reddentis; quod inquam, optimos & sanctissimos mores, turpissimos & teterrimos fingit; quod virulentâ saltem malevolentia incitatum, præclarorum etiam hominum dicta factaq; deterit, ac alienis prorsus depingit coloribus. Non curat calumniam Vir prudens; sed velut strenuus ac generosus miles, levia & circa galeam auresq; crepitantia tela despicit; & velut Athleta cum in gravi versatur certamine sub ipsisq; consistit ictibus, animos à plagis sumit. Sic Vir prudens ac altissimæ mentis, obtreccationem ac criminationem alienam aspernatur; sic diutius jam calumnia alijsq; infortunijs exercitatus, ab ipsis tormentis robur, à dolore tolerantiam & fortitudinem desumit. Non simulatam sed genuinam possidens constantiam, omnem prorsus calumniam despiciatui ducit. Ad omnem calumniæ impetum, muros in animi sui sensibus, quos sola extruxit sapientia, nullâ vi, nullis expugnabiles machinis constituit. Vel in ipsius calumniæ meditullio, habet altissimum illud gaudium, cœlitus sibi communicatum, mentis videlicet quietem, & conscientia in tuto collocatæ securitatem, quæ ubi est, ibi vera voluptas.

*Hic murus abeneus esto*

*Nil conscire sibi nullâ palleescere culpâ.*

Et quanquam circumsonet magis ac magis calumnia, quanquam contagiosa ejus asfiliant spicula, ne quidem



irasci dignatus, ea è celsissimâ fortitudinis turre despe-  
ctat, quæ pridem major omni calumniâ, suâ virtute & in-  
nocentiâ extinxit. Et optimè. Velut enim picturæ lu-  
cem egregiè umbra commendat, sic dignitatem & Præ-  
stantiam Viri prudentis, vel inquisissimis circumsepti ho-  
stibus, nihil magis quam calumnia exornat. Et ut in Sole  
absq; umbrâ non persistimus. Sic Vir prudens absq; ca-  
lumniæ nebulâ, in famâ & celebritate Orbis durare ne-  
quit. Quod vel in se ipso sentiens, utcunq; atrox calum-  
nia sæviat, fremat, ingruat, rectum tenet clavum, in omni  
ejus procellâ, ne latum quidem unguem ab ingenitâ rece-  
dit generositate, ac nè hilum quidem ad calumniam,  
commovetur. Novit Vir prudens, quemadmodum ignis  
in aquam coniectus, continuò refrigeratur & restingui-  
tur; sic calumniam in puram & decentem effusam vi-  
tam, statim concidere & perire. Moliatur illa insidias in-  
nocentis; eripiat bonorum favorem; conciliet omnium  
odium, invidiam; honestas & decentes deneget, impe-  
diat spartas; vel in ipsam ejus, cum ipsis Diabolis, conspi-  
ret cædem, tanti calumniam, quanti aqua ignem cura-  
bit; ad cujus ardorem obduruit Viri prudentis patientia.  
& nullæ sunt tam intensæ calumniæ flammæ, quæ in lim-  
pidum hunc ac dulcem virtutum fontem sævire possint.  
Mendacia, infamiam, probra profundat in Virum pru-  
dentem calumnia, subitò ille omnia hæc mala disperget,  
discusiet, neq; illis unquam contaminari, multo minus  
lædi poterit. Elephas tam duri dorsi esse, à naturæ Scr-  
tatoribus perhibetur, ut exiguo aculeo præditas non at-  
tendat culices, ut potius.

*Solin. c. 28.*

*Aristot.*

*Ælian:*

*Lucan.*

*lib. 6.*

*Omne repercussam squalenti missile tergo*

*Frangat*

Et quid aliud Vir prudens? verissimus sui æstimator,  
tanquam



tanquam Elephas, ad nullam calumniam velut ad exiguum culicis morsum expavescit; audacter calumniæ pronuncians;

*Mordear, opprobriis falsis mutemq; colores?*

*Falsus honor jurat & mendax infamia terret;*

*Quem nisi mendosum & mendacem?*

Horat. lib.

1. Ep. 16.

Achil. Taci-  
cius lib. 2.

Egregius est Leonis & culicis Apologus. Postquam videlicet Culex suas diutius jactasset laudes, Leonisq; generositatem scoticis perstrinxisset verbis, fastu tumidus, quid verbis opus est? exclamat, pugnam ineamus. His dictis in Leonem impetum fecit, oculos aliasq; capitibus partes appetens, ipsa etiam labra invadens, per medios Leonis dentes, per os quoq; occlusum transiens elabebatur. Ubi verò inani pugna Leo fatigatus quievisset, circuiens culex, incredibili vecordia classicum cecinit; &, cum insolentiam victoriæ elatus ampliore gyro volatum produceret, in aranei telam improvisò incidit, illiusq; miserum factus mancipium, propriamq; detestatus dementiam. Me miserum inquit, qui Leonem in prælium provocare ausus, tenuissimam aranei telam evadere nequeo. At quorsum quæres affabulatio? Quid quæso aliud est putida calumnia, quam exiguus culex, quam parvulus vermiculus? Hic impudentissimè Viro prudenti insultare, hic ipsius splendorem, fortunam, virtutem, integritatem invadere; hic cum imbecilli quam linguæ aculeo pungere; hic cum Viro prudenti tanquam cum Leone magnanimo in arenam descendere non erubescit, sed quid tum postea? ubi culex hic ridiculus triumphum se de Viro prudente reportasse imaginatur, ubi eundem suis spiculis, injuriis nempe, ac mendaciis succubuisse arbitratur. Victor ac triumphator illius Vir prudens existit, futilissimi inverecundiam hostis



profternit, ipfa vero inftar viliffimi culicis calumnia, victorem agnofcere Virum prudentem, arenâ cedere cogitur, & foepiffimè à fimilis farinae fcurrâ, ab invalidiffimo aliquo hofte illaqueatur, irretitur ac conficitur: inquam, quadrabit venuftè, velut in culicem, illud ipfum Platonis *Priusquàm viceris & facis & canis de re ipfo encomium*, vel illud Claudiani

*Sed caret eventu nimius furor: improba nunquam  
Spes latata diu.*

Fœnum græcum, fi verâ Plinius fcribit; quantò peius tractatur, tantò provenit melius. Non aliter Vir prudens, quò magis conflictatur calumniâ, eò affurgit vividius. Imò jacturâ aliquâ & pudore affectus, acrioribus, ftimulis ac facibus ad gloriam incalescit. Et velut ignis, flatu premitur ut crefcat, & undè quafi extingui cernitur, inde roboratur; Similiter Vir prudens quò magis calumniâ maceratur, eò gloriores reportat triumphos. Contemptus antea à calumniâ & invidiâ, inſperatas gloriæ & honorû obrinet palmas, ac magnanimâ plenè fiducia Calumniâ fic alloquitur. Sentis ne jam phrenesi concitata tuas imbecilles vires? Sentis ne jam vanâ fine viribus iram? Plus fanè mihi prodes quam nocet: ubi mihi damna aut infamiam minaris, ibi ego, (DEO fic providente) altius aflurgo; ubi me Tu tuis infidijs, tuo impudente ore ruere cenſes, ibi ego confisto firmiore talo, ibi meam fortem in hilarioris fortunæ exemplum erigo. Quod fi ita eſt, uti eſt, me amplius mordere define dentata calumnia, nè contagioſi oris tui debitas pœnas, dum minimè ſperas, experiaris.

\* Thorax  
mons fuit  
in quo Da-

Φύλαττε τὸν Θώρακα

\* Cave à Thorace

muta ſi ſapis flagitioſam mentem, exue vulpinam quam

ego



ego odor & palpò pellē; Si verò nihil ferij, nil præclari  
 in tuis ædibus, aut apud te habes, quod agas, pinge fatius Daphidas  
grammati  
cus, ob sua  
maledica  
carmina  
cruci affi-  
xus fuit.  
 cum pueris cucurbitas in pariete; pinge cum pigro olim Vicinus  
fuit fluvio  
Lethæo.  
 Jove centauros in nubibus; lege cum infantibus pîctos Vide Stra-  
bonem lib.  
14. Geo-  
graph.  
 in littore pro gemmis calculos; exerce cum fatuis res Ælianus  
de anim.  
lib. 9. c. 27.  
 plenas vanitatis futiliumq; deliramentorum, & me tuo  
 majori malo, tuo infortunio, tuo exitio, noli ulterius la-  
 cessere. Verba sunt magnanimum spirantiâ pectus Viri  
 prudentis, & quæ admirandam ejus in perferendâ ca-  
 lumniâ constantiam indicant. Quam cur quæso in ca-  
 lumniâ non declararet? quæ instar Scorpionis, si se dor-  
 so ad Telyphonum herbam admoveat, subito pereuntis;  
 quæ inquam, si se vel minimum, ad Virtutem ac præstan-  
 tiam Viri prudentis applicare ausâ fuerit, continuò ta-  
 bescit; quæ etiam instar Basilisci ad funera terrarum na-  
 ti, & ad speculi intuitum, virus suum in proprium interi-  
 tum repercutientis; quæ inquam, omnia maledicta in  
 Viri prudentis eiaculara innocentiam, in se ipsam retor-  
 quet; proprio veneno se ipsam enecat, & ut aliquis egre-  
 giæ indolis Poeta scribit.

*Sic cum pestifera torquent convicia lingua*

*In pueros propriò se jugulant gladio,*

Verissimè equidem. Nam nunquam in solitudinibus  
 Echo sic integra ad eum qui vocem emisit refracta est,  
 velut calumnia ad calûniatorē reverti, ipsiq; calumnia-  
 tori exitiū conciliare consuevit. Et si Serpentes venena  
 sua lethifera, in aliorū depromunt mortem, ac absq; suo  
 continent dispendio. Sanè contrario pacto calumnia,  
 pestiferum suum virus, in salutem fatius ac felicitatem  
 Viri prudentis egerit, & cum suâ clade in venenati pe-  
 ctoris visceribus conservat. Quemadmodam quoq; Dra- Plin. lib. 8.  
 cones Elephantorū sanguine inebriati, ab ipsis conciden-  
 tibus



tibus opprimantur, sic Calumnia Draconi contagioso non abfimilis, famâ & honore Viri prudentis saturata, scœpissimè vel in ejus funere quem oderat, cœlesti casu repentè fulminata concidit. Quod Vir prudens agnoscens calumniam hilari perfert vultu, ejusq; iniquitatem, non propriæ vindictæ sed proprio potius illius supplicio ac tragico interitui amandat. Possset equidem Vir Prudens calumniam retorquere, possset tela ipsius in ejusdem reflectere exitium. Cum Plutarcho teste, nihil turpius & molestius, maledicto in auctorem recidentem. Et sicut refractum lumen magis lædit imbecilles oculos, ita & maledicta gravius offendunt, ab ipsâ veritate in maledicentem retorrâ. Possset calumniæ prævenire etiam impietatem, & naturâ serpentinâ præditam, antequam vel mordeat vel aculeum infigat ulcisci, quemadmodum olim Demosthenes Atheniensibus svaferat. Sed non facit tale quid Vir prudens; neque vel minimâ Calumniam ultione dignatur. Non magnum esse, animum judicans quem incurvat calumnia; sibiq; certissimè persuadens, parcere, tolerare mansuetudinis esse, indulgentiæ & moderationis; esse Camilli, Metelli, Aristidæ, Socratis opus; mordere verò, muscas & formicas, pusillosq; homines saltèm, mordentem repetere solere. Non desunt quidem, qui inimicos suos severè plectendos arbitrantur. Exclamant aliqui cum Publio

*Inimicum ulcisci, vitæ am est accipere alteram.*

Seneca in Non pauci cum Deianirâ apud Senecam vovent

Hercul.

*Ire, ire ad umbras Herculi junctam libet,*

Oetæo.

*Sed non inultam &c.*

Plaut. in

*Felix jacet quicumq; quos odie premis*

Trinum.

mo. act. v.

sc. ult.

In felicem te Charmides apud Plautum reputat, quod potestatem inimicos vindicandi adepta non fuerit.

*Miserum*



*Miserum est, male promerita, ut merita si mihi ulcisci  
non licet.*

Agefilaus aliquando aræ Minervæ adstans, bovemq; Plutarch.  
immolans, morsus à pediculo, pudore prostituto, in con- initio  
spectu omnium eundem arripuit, & additis his verbis Apopht.  
interfecit. Nῆ τὰς θεὰς ἠδέας τὸν ἐπίβρονον καὶ ἐπὶ τῷ βωμῷ Lacon.  
*Per Deos jucundum est ulcisci insidiatorem etiam ponē aram.*  
Quid de pluribus ejusdem ingenij dicam? qui irā vel in-  
fantiā correpti, qui furore ipso velut obstinatioe agita-  
ti dementiā, subitò, non dico in vindictam, sed in necem  
inimicorum conjurant, nil nisi atrocem exitum ipsismet  
moliuntur. E quorum cætu fuit ille Claudius, ita hosti-  
um suorum intentus ultioni; ut pro tesserâ quoq; hunc  
græcum Versum, militibus suis porrexerit.

*ὅτι χρῆ,*

*Αὐτῶ ἀπαμύνασθαι ὅτε τις περὶ χαλεπήνῃ*

*Hunc vos*

*Ulcisci, quicumq; nos prius ledat, oportet*

Verum talium Vir prudens non auget numerum, hocq;  
unicum ultionis contumeliosissimū genus esse existimat,  
non videri dignam calumniam ex quā ultio peteretur.  
Despicatui ducit imbecillas illas mentes, quæ vel vilissi-  
mas calumniæ offensiones ipsis etiam infigunt medullis.  
Et sive Calumnia famam Viri prudentis evaginatâ lin-  
guâ laceſſat, sive illum è honorum fastigiis detrudat, si-  
vè favore bonorum exuat, sive ad honorifica muniâ om-  
nem aditum præcludat, sive facultatibus bonis spoliet,  
nō moratur, risuq; sane non irā excipit frustraneos ipsius  
conatus. Nam bene ille novit, Vana hæc esse omnia in  
hoc fluxu ac refluxu rerum humanarum; brevissimis in-  
clusa esse spacijs, quæ tum plerumq; umbræ instar evane-  
ſcunt, tum in morem fumi dissipantur, tum non secus ac

E

bullæ



bullæ dissolvuntur , tum instar vitri quò magis splen-  
dent, eò citius franguntur ac pereunt. Et illa saltem in  
summo collocat pretio bona , quæ supra omnem incon-  
stantiæ & mutationis aleam posita sunt; quæ etiam ca-  
lumniâ pressum, nudum, naufragum, exulem, ubiq; terra-  
rum comitantur; quæ à calumniâ nec eripi nec surripi  
possunt. Quid si vero Calumnia mortem ipsam Viro  
Prudenti intentaret, ane tunc aut indignaretur aut  
expavesceret? Minimè gentium. Non aliter ille,  
calumniâ pressus ex hac secedit vitâ, quam si feбри, calcu-  
lo, podagræ, aliisq; morborum generibus cederet, quem  
ipsa natura jam ante, è viventium consortio jusserat se-  
cedere. Non aliud mortem esse putat, quam omnium ca-  
lamitatum terminum, quam felicitatis exordium, quàm  
omnium ærumnarum perflugium , quam securissimum  
quietis & tranquillitatis portum. Vitam vero hanc hu-  
manam non pluris facit, quam belluarum etiam, imò mu-  
scarum & vermium bonum, quam durissimum carcerem,  
quam intolerabile supplicium, quam laborum & pericu-  
lorum plenam peregrinationem, quam miseriarum &  
calamitatum palæstram; ideoq; minimè indignatur aut  
exhorrescit, si ipsum calumnia vel morte maçtaverit, vel  
vitâ privaverit. Imò ipsâ fretus innocentia, quæ non so-  
lùm in extremis periculis, sed in ipsâ etiam morte, segura  
& tuta est, si vel ad ipsam ac ignominiosam, à calumniâ  
condemnetur mortem, minimè consternatur. Novit  
etenim neminem innocentem male interemtum infamem  
esse, nec turpitudinis alicujus commaculati notâ  
( ut inquit Arnobius) quia non suo meritò poenas graves,  
sed cruciatoris perpetitur sævitate. Hoc se autem nō me-  
diocriter Vir Prudens recreans, Aquilium Treboniũ, Re-  
gulum, Socratem, aliosque innumerabiles gloriâ & vir-  
tute



tute conspicuos æmulatur Viros, quibus jucundius erat mori quam miseris defendi; qui nullam sibi à calumniâ mortem intentatam reformidarunt; qui acerbissimæ etiam mortis experti genus, immortalem sibi gloriam, æviternum calumniæ dedecus compararunt. Quemadmodum autem nemo Serpentem vel Scorpionem stimulo destitutum, quò mordens virus suum transfundat, metuit. Sic Vir prudens nec ipsam mortem, quâ per calumniam obire cogitur, tanquam nullum dedecoris venenum in se complectentem expavescit. Revocat sibi in memoriam Agidem illum ultimum Lacedæmoniorum Regem, per insidias, per calumniam ab Ephoris condemnatum, qui cum ad laqueum quo ei guttur regium elidendum erat duceretur, cuidam ministrorum necem ejus deploranti, desine inquit me deslere, qui tam sceleratè atq; injustæ morti addictus, meliore sum, quâ qui me necant conditione; atq; sic loquutus, funi ultro cervicem præbuit, absq; dubio in similia Senecæ verba erumpens.

Plutarch.  
Lacôn.

*Anime quid mortem times?*

*Mors innocentem sola fortuna eripit*

Reducit sibi in mentem Canium illum Julum, qui cum Caio diu altercatus, ad suppliciumq; duci jussus, latrunculis hilaritèr lusit, & à Centurione agmen peritorum trahente vocatus, calculos numeravit, sodaliq; suo, in primis aiebat, Vide, ne post mortem mentiaris te vicisse; tum annuebat Centurioni, testis, inquires eris unò me antecedere; mortem autem alacri subibat animo, quasi non ad caducæ vitæ terminum, sed ad sempiternæ felicitatis auspiciu ludendo properaret; quasi non tanquam ad diem extremum, sed ad æternitatis natalem contenderet. Talibus & tam sublimis constantiæ exemplis, Vir Prudens pectus suum firmat; talibus ex-

Seneca  
Oedip.  
Senec. de  
tranquil.  
animi C. 14.



Cicero in  
4<sup>ta</sup> Cati-  
lin.

emplis semet contra mortis insultus tuetur. *Et si quid ob-  
tigerit* (ut cum Cicerone scribam) *equo animo paratōq; mori-  
tur; neq; enim turpis mors forei viro potest accidere, neq; imma-  
tura consulari, neq; misera sapienti.* Si jam neq; ipsam Mor-  
tē quam calumniā intentare potest, Vir prudens exhor-  
rescit, ad quos quæso calumniæ concutietur insultus?  
ad quas obsecro trepidabit ejusdem calamitates? Vir  
quasi ex cubicâ compactus figura, quæ quoquo versum  
jacta versataq; fuerit, rectâ semper consistit. Vir vide-  
licet ad omnia calumniæ tela idem, ad quæ ejus pridem  
obduruit patientia, & nullum est telum tam mortiferum,  
quod ejus Virtutem ac constantiam pertundere ac debi-  
litare possit. Solinus refert Sacellum fuisse Herculis Ro-  
mæ in foro Boario, in quod nec muscæ, nec canes ingre-  
di poterant. Cum etenim Hercules viscerationem sacri-  
fici litaret, Myagram, muscarum Deastrum imprecatus  
erat, clavamq; cujus olfactu canes refugerent, in aditu  
ejus reliquerat. Non sint illa per me licet, ex tripode di-  
cta; verum hæc certissima quasiq; ex Apollinis Oracu-  
lo profecta erunt. Virum nempè prudentem Sacellum  
esse ipsius DEI Optimi Maximi, confictum quidem ex  
argillâ, at præstantissimis facultatibus à DEO exorna-  
tum, præclarissimo rationis munere insignitum, quô  
brutas superat pecudes, quô cælestes adæquat mentes,  
quô ad ipsum Divinitatis accedit splendorem. Hoc cæ Sa-  
cellum nil aliud quã pietas, humilitas, modestia, constan-  
tia in adversis, cæteræq; Virtutes, mirū in modū conde-  
corant. Procul ab hoc Sacello muscæ caninæ; obtrecta-  
tores videlicet, qui in proscindendâ Viri prudentis fa-  
mâ summam voluptatem collocant. Procul ab hoc Sa-  
crario canes rabiosissimi, diffamatores videlicet, qui ve-  
lut canes, Prudentis Viri dicta & facta allatrant, qui ve-  
lut

Solin. in  
Poly.  
histore.



lut canes integritatem illius ac existimationem mor-  
 dent, qui canino oculo prosperitatem ejus, eximia  
 quæq; gesta intuentur. Procul ab hoc Delubro Musca,  
 nempe Calumniæ importunitas ac impudentia, per Mus-  
 cam olim à Sacerdotibus Ægyptiis connotata. Nam Vir  
 prudens Divinâ imprimis providentiâ nixus, post opti-  
 mâ suffultus conscientiâ, non jam Myagrum muscarum  
 Deastrum, verum ipsum infernalem Beelsebub, cujus Hieronymus  
 apud Hebreos testantè D. Hieronymo, Musca hiero-  
 glyphicum fuerat adjurat, nè cum impurâ ac maleficâ  
 calumniâ, puritatem, innocentiam, probitatemq; ejus pro-  
 fanare audeat. Præterea figit firmiter in se clayam Vir-  
 tutis, quæ vel solo sui odore terret & fugat calumniam;  
 quæ (ut Cicero scribit) in tempestate sævâ, quieta est, Cicero  
 & lucet in tenebris, & pulsa loco, manet tamen atq; hæ-  
 ret in patriâ, splendetq; per se semper, nec alienis un-  
 quam fordibus obsolescit. Et hæc solâ munitus Vir pru-  
 dens, fuitiles calumniæ susurros generoso contemptu  
 propulsat, sumptaq; laudabili superbiâ, calumniam quæ  
 nominis illius famam rodere, laceffere, impetere, non  
 erubescit, tanquam minoris canis importunum latratum  
 infra iræ suæ dignitatem, infra virtutum suarum suæq;  
 innocentie fastigium collocat. Cyndiadis Dianæ Simu- Polyb.  
 lacrum sub dio, nunquam omnino nive aut pluvia tangi lib. 16.  
 Polybius recenset. An verâ hæc sint non litigo, Id  
 nihilominus ipsissimæ consentaneum esse veritati cre-  
 do. quod Vir prudens, sive in Ecclesia, sive in Aulâ, sive  
 in quapiam Republica vivens, nihil sit aliud, quàm, non  
 flagitiosissimi alicujus, libidinibus effrenati ac indomiti  
 Deastri, sed ipsius DEI, Supremi omnium rerum Condi-  
 toris imago, quam solidissimum sapientiæ, fortitudinis,  
 magnanimitatis, aliarumq; Virtutum Simulacrum; sub  
 E 3 dio



dio Vir prudens vitam hanc caducam trahit; non amat latebras; publicum ille amplectitur & propugnat bonum; sub caelo aperto vivit, qui semet omnibus periculis, vel morti ipsi, pro salute publicâ, pro omnium bonorum incolumitate ac fortunâ exponit. Non se occultat ut cæteri, qui sibi soli vivere, suis privatis inhiare, commodis, suam propriam promovere felicitatem norunt. Sub dio manet, qui omnibus facillimum ad se tribuit accessum, qui omnium calamitosam sublevare fortunam nititur, omnes ex obscurâ & luctuosâ sorte, in optimiorem ac celebriorem provehere conditionem conatur. At quid interim Vir prudens loco mercedis? quid loco redhostimenti reportat? ruunt in ipsum pro præclare factis injuriarum imbres: ruunt pro candido in quem vis pectore, mendaciorum tonitrua: ruunt calumniarum fulmina. Verum quid quæso efficiunt? Ne attingunt quidem Virum prudentem, multò minus lædunt, non ipsi ex putidissimis suis sordibus quidquam contagionis instillarè possunt, nihil ipsum calumnia, nihil levium hominum maledictis velitantium protervia movet, quæ vitæ ejus integritate, sincerâ erga quemvis benevolentiam egregie refutatur. Forti ille animo calumniæ concoquit contumeliam, quæ nè quidem hilum de cumulo laudum ipsius diruit. Invulnerabilè esse existimans nõ qui feritur sed qui non læditur. Fateor nihil magis Viri prudentis torquerè posse pectus, quàm quod illi ipsi, quos ille è tenebris in lucem, è miseriæ squallore, in fortunæ fulgorem provexit, eidem per calumniâ insidias parent, eundem de honoris ac celebritatis fastigio detrudere, funditus extirpare satagant; non alio fine quàm ne eum habeant qui digno eorum ingratitude mactet supplicio; nõ aliâ de causâ quàm ne suorû scelerû aliquando testem  
vel



vel iudicem experiantur; non alio scopo, quam ut nul-  
lū cernant, coram quo male vivere jure meritò pudeat,  
qui ingratorum horum nebulonum frontem ferire pos-  
sit. Nam *castigare videtur* (ut Lactantius inquit) *qui dis-* Lactantius  
lib. 5. c. 9.  
*sentit*. Et *reperies* (ut cum Tacito loquar) qui ob simili-  
tudinem morum, aliena malefacta sibi objectari putent:  
etiam gloria & virtus infensos habet, ut animus ex pro-  
pinquo diversa arguens. Non diffiteor acerbam esse Vi-  
ro prudenti tam perversorum mortalium ingratitude-  
nem, quæ de tam bene merente pessimè meretur. Et cur  
non acerbum esset hocce spurcissimum monstrum, in  
quod tanquam in dolium pertusum, omnia hauriens be-  
neficia Vir optimus frustra effudit? cur non acerbum ef-  
fet scelus hoc, quò terra nihil deformius, nihil tetrius  
producere potest, à quò omnia scelera originem traxe-  
runt, & sinè quo vix ullum magnum facinus crevit. Seneca  
de benef.  
c. 10.  
Agnosco deniq; non mediocriter Viri prudentis pectus  
confici, dum se ab illis calumniâ lædi conspicit, quorum  
erat, beneficiâ ejus æternæ recondere memoriæ, quò u-  
erat fortunam illius favore partam, ipso candore ac sin-  
cerâ observantia remunerari. Nam (ut Cassiodorus scri-  
bit) *graviter dolet injuria qua contigerit insperata, & si inde* Cassio dor  
lib. 5. ep.  
4. 3.  
*proveniat dolus, undè sperabatur auxilium*. Et quis ipsi tanto  
verteret vitio, si ut humanæ cum cæteris imbecillitati  
obnoxius, ad vindicandam semet ingratorum mortali-  
um calumniam proriperet? cùm illa virulentum quen-  
dam habeat aculeum, quem generosi animi pati neque-  
unt; cum homines magis indignari calumniâ laceffiti,  
quam vi oppressi soleant. Et si vel abjecta mancipia mi-  
nimas etiam ægerimè ferunt calumnias, cur jam aliquis,  
bono prognatum genere, ad ipsam à naturâ libertatem  
conditum, summâ præditum magnitudinè Virum cul-  
pare



Xenoph.  
lib. I. Pæ-  
dias. The-  
mist. Orat.  
de Amici-  
tia.

pare auderet, si dirâ ab ingratis calumniatoribus su-  
meret supplicia? qui Persarum iudicio ( ut Xenophon  
commemorat ) *nullâ Deorum curâ, nullâ parentum, patrie,  
amicorum adficiuntur, semperq; impudentiam comitem sibi ha-  
bent, quâ maximâ velut ad turpissimâ quaq; dace, ipsam virtu-  
tem in ingratitude suâ opprimere conantur.* Interea non  
vindicat Vir prudens ingratham calumniam. Veniam ul-  
tione meliorem esse cum Pittaco illo, qui ad alienas in-  
urias ac calumnias callum fermè obduxerat iudicans.

Julian. III  
Misopog.  
in fine.

Non ingemiscit cum Juliano, quod in ingratham calumni-  
am beneficia contulerit, nullam è suâ munificentia in ca-  
lumniam collatâ mœsticiam, ad pectus suum candidissi-  
mum admittit, nunquam in has erumpit voces. *Vellem,  
non fecisse.* Verum in ipsius etiam beneficij calumniæ  
præstiti infelicitate sibi complacet, non pœnitet illum  
famæ suæ vespillonibus benefecisse, ut illos aliquando  
beneficia accepisse æternum pœniteat. Imo tam ingen-  
tis & excelsi est animi, ut tam diu patienter perferat in-  
gratham calumniam, donec vel invitam, gratissimam effi-  
ciat; edoctus à sapientissimô Senecâ, quod *succumbunt vi-  
tia virtutibus, si illa non citò edisse properaveris.* Sed anne jam  
in utramq; impunita calumnia dormiet aurem? anne  
non gravi vindictâ suum scelus, suam impietatem in Vi-  
rum prudentem patratam expiabit? Minimè verò. Sat  
acerrimis mulctabitur plagis, quod erubescet ab ullo be-  
neficium accipere, & erubescet alteri dare. Sufficienti  
ultione suum expurgabit flagitium, quod toti Orbi invi-  
sa erit, quod ab omnibus fermè bonis sempiterno dam-  
nabitur odio, & inter ea scelera ( quorum atrocitas ab  
homine nec satis censerî, nec sufficienter puniri potest )  
reponetur, atq; ad solùm iustissimum vindicem remitte-  
tur; Dum Vir prudens Divinam experietur clementiam,  
dum

Seneca s.  
de benef.  
c. 1.



dum longè majorem, ob ingratam calumniam reporta-  
bit gloriam; dum magnificentius de ipsâ triumphabit,  
quam si victor rediret ab Olympico certamine, quam  
si quadrijugo curru & albensibus equis, per Sacram viam,  
lauro coronatus in Capitolium invehetur. Qui nè di-  
gnatur quidem (ô magnum & excelsum animum!) puri-  
tatem suam cum tantâ calumniæ committere foeditate,  
metuens absq; dubio nè cum spurca congressus calum-  
niâ, quasi in eodem cum eadem volutatus cœno, ejusdem  
mali semet participem reddat, eademq; se ipsum sorditie  
contaminet. Metuit prudenter, ne candidam suam men-  
tem inficiat; quemadmodum corpus inficere ille con-  
suevit, qui fuligine imbutum tractare, aut cum eo lucta-  
ri temerè audet. Et si quod, certè grande illud patientiæ *Seneca de*  
exemplum, Catonem videlicet, præ oculis, in memoriâ *Constant.*  
continuâ habet, qui percussus non excanduit, non vin- *sapient.*  
dicavit injuriam, nè remisit quidem, sed illatam nega-  
vit, majore animo non agnoscens, quam si ignovisset.  
Hunc æmulatus Vir prudens, magno sustinet animo ca-  
lumniam, falsa autem de seipso sparsa negligit; sciens be-  
nè cùm Socrate, pessimam calumniam melius loqui non  
didicisse, nec sibi ista adesse, quæ de ipso mendacissimè  
comminisci non erubuit. Imo verò, ut suum heroicum,  
malevolæ calumniæ contestetur animum. per pessæ ca-  
lumniæ, ut & acceptæ injuriæ memoriam non retinet.  
Non se genio eorum conformat mortalium, qui vel mi-  
nimam, in marmore sculpunt offensam, & in ipsis animi  
recessibus ad extremum usq; vitæ halitum, intestina  
conservant odia. Verùm religiosissimè ille legem illam  
oblivionis à Thrasibulo latam, *Nè quis videlicet pristina-* *Cicero*  
*rum injuriarum reminisceretur* observans, nè memoriâ *Philip. 1.*  
quidem calumniæ dignatur technas, nihil magis animi-



Plutarch.  
in apo-  
phteg.

tus expetens, quam ne vel ipsius heredes, aut successores  
malorum horum recordentur; Phocionem illum me her-  
cule imitatus, qui allato jam cicuta poculo, filionē ali-  
quid committeret? interrogatus, respondit *Mando tibi fili  
atq; horror te, ne Atheniensibus memorem te injuriarum  
præbeas.* Similem se & non alium Vir prudens in vindi-  
candâ calumnia exhibet, qui vel atrocissimam ejus inju-  
riam, ad sempiternam etiam oblivionem condemnat.  
Qui quanquam calumniam res suas curiosius observare,  
& undiq; ansam nocendi captare animadvertat, quan-  
quam eandem, dicta & facta sua per cuniculos inquirere  
sedulò, ac perscrutari sentiat, non ullâ ramentam illam inju-  
riâ afficit, *Probi enim injuriam facilius accipiunt, quàm alteri  
tradunt.* Non quoq; Sophoclis inimicorum tædio affecti  
verba usurpat. Satius est me mori quam cum inimicissi-  
mis habitare. Verû placidissimo sibi insensos perferens  
pectore. sollicitè saltem eos observat cum Anthistene,  
tanquam qui *primi peccata sentiunt, & criminando à vitis  
avertunt.* Probitate & honestate, Diogenis effato obse-  
cundans eosdē ulciscitur; cordatq; hominis esse, cū Xe-  
nophonte opinatur, etiam ex inimicis, ex ipsa calumnia  
utilitatem capere. Non sibi sufficere credit, si nullo à ca-  
lumniâ afficiatur dispendio; nisi quoq; ab ipsâ, sua & ma-  
xima desumat emolumenta. alter profecto in hoc passu  
& quidem peritissimus colonus, qui & ex sylvestris natu-  
ræ arboribus compendia quærit; alter in hac parte ve-  
nator, qui ex feris, & quæ nulla ratione domari possunt  
bestiis, comoda aucupatur. Ut autem cum suâ magna  
prudentiâ, insigne copulet acumen ingenij, non ille ini-  
micam, peius cane & odio, ( ut pleriq; solent ) calumniâ  
aversatur; verum si quæ præclara ac decentia in ipsâ  
conspiciat, ea ipsa, velut alter Themistocles, qui Miltia-  
dis

Q. Metellus

Numidic

apud Agel-

lium lib. 12

c. 9.

Diog.

Laert. lib.

6. Plutar-

chus

Plutarchus

de cap. ex

hostib. uti-

litat.



dishostis facinoribus celeberrimis, ad æqualem concitabatur gloriam, strenuè æmulatur; non excæcatur odio infensæ calumniæ, sed vitam illius, mores, dicta, facta, ut incorruptus spectator contemplatur; in idq; unicum summâ incumbit industria, ut & ejus delictis cavendis præstantior, & imitandis rectè factis non deterior ipsa existat. Quod autem incomparabilem animi ejus constantiam, luce meridianâ clarius ostendit. Infensissimam etiam calumniam, arctissimæ adjungit, amicitia, & ex albo hostium expunctam, in intimorum sibiq; devinctorum coaptat numerum. Nec mirum. Ille etenim pro suâ prudentia novit, quod *cum mortales simus, sempiternam iram tenere non debemus* Ille didicit pridem. *Semper odiorum occasum esse honestissimū.* Ille pro animi sui generositate, vincere iram, inter similtates hominis meminisse solet. Ille amicitiam ut perpetuò firma & immota conservetur, in æs incidit; inimicitiam ut quamprimum obliteretur, in aquâ conscribit; non descendit, cum Demosthene, in certamen adversus calumniam, in quo qui vincitur, ipsò victore melior est. Ingentis animi argumentum cum Lyfandro arbitratus, ne irâ quidem dignam, quamvis in promptu ultrò adesse possit, calumniam existimat. Contentus ille optimâ famâ, altero probi hominis patrimonio, omnibus vitæ bonis, omnibus thesauris præstabiliore; quæ immortalis aureæq; spei filia, hominem perpetuum efficit; quæ virtute conspicuum, vel in ipsis terræ recessibus ostendit; quæ Virorum præclarorum facta renovat, à senio vindicat, & quotidie in vitam, in hominum recentem memoriam revocat. Contentus ille Veritate, quâ præditus est; quæ nunquam ita opprimitur, ut non magnis suis emineat vestigijs; quæ patrono non indigens se ipsam potentissime tuetur; quæ (ut Tul-

Phalaris  
Ep. 51.

Stob. Ser.  
19.

Cicero pro



*M. Celio.* lius differit) *contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam,*  
*contraq; fictas omnium insidias, facile se ipsam defendit;* quæ  
deniq; miro semet artificio in hominum pectora insi-  
nuat, & tum subitò, ingens illud suum robur explicat,  
tum quasi tenebris prolixiori oblecta tempore, tandem  
sponte suâ erumpit, & de armatâ etiam calumniâ palmâ  
reportat. Contentus ad extremum, rectè factorum con-  
scientiâ, quæ mirâ animi voluptate hominem innocen-  
tem perfundit; quæ jucundissimam menti tranquillita-  
tem conciliat; quæ nulla unquam discrimina, nullam  
mortem expavescit; quæ velut Nepenthes herba, ab Ho-  
mero prædicata, omnem vitæ mœstitiam discutit; quæ  
quemvis mortalium verâ & aureâ libertate donat, ac in-  
victâ semper fortitudine instruit. Non curat calumniam,  
*Ælian. de* quæ ut plurimum instar Bovis Neurici (ut Ælianus re-  
*animal.* censer) cornua in humeris habentis, non rectâ fronte,  
*C. 24.* Virum prudentem invadit; sed obliquè, obscurisq; di-  
ceterijs ac ambagibus, aromatibus fragrantiorum ejus  
existimationem ferit & carpit. Spernit effrenem calum-  
niæ insolentiam, in optimi cujusq; deformationem, in-  
famæ virorum bonorum jacturam intentam, actionūq;  
suarum fructum, non judicantis calumniæ pruriginem,  
sed bonâ conscientia metitur. Hac munitus, non aliter  
ac Erinaceus in globum convolutus in canum insultu,  
in ipso calumniæ impetu securissimus conquiescit; non  
aliter ac Leo apertis dormiens oculis, dum cæteræ bel-  
læ, ad somnum capeffendum latebras inquirunt, confi-  
dentissimè inter invidos & calumniatores versatur. Non  
est ille sollicitus, qualenam Momus unus aut alter, (vap-  
pæ & quisquilæ hominum) de ipso judicium ferant.  
Non enim tam præclarè cum rebus agitur humanis, ut  
optima quæq; calumniâ collaudet, cui nec udus nec fu-  
dus



us unquam Jupiter placuit. Ac ut apud Homerum Diomedes extitit, qui Venerem venustissimam cruento vulnere deturpare voluit. Sic maledicta calumnia, eximia, quæq; facta, atro dente arrodere, insectari, mordere, conuevit. Sive ille inter calumniam, sive inter favorem & benivolentiam, sive inter amicos, sive inter hostes, sive inter tales impostores vivat, qui propinare solent

*Inmixto liventia mella veneno.*

magnâ animi tranquillitate gaudet. Et quemadmodum Plin. lib. 10  
Cap. 32. Alcion, in medio mari, mediâ hyeme ventorum & procellarum ferace, tutissima quasi nidum conficiens, in ipsorum etiam hostium meditullio securam sedem figit: pari cū Alcione fastigio, pari vultu, pari animo inter calūniâ & amorē Vir prudens consistit. Consistit non aliter ac in medio maris edita, altissimisq; defixa radicibus rupes, cujus cacumen fluctus nē quidem attingunt, infima autem ejus si verberant; verberant non ut eam commoveant, sed ut frangantur, ut fracti resiliant, irasq; sui bibant ipsi furoris. Sin autem à vero aliena sunt, quæ Pœtæ narrant. Olympi videlicet cacumen, quietum, longeq; sublimius esse, quam ut eò ventorum tempestatumq; vis perveniat. Hoc sanè certissimum, quod Vir prudens altior sit & excelsior, quam ut invidiam, calumniam, omniaq; adversa sentiat. Socratis ille animum gerit, quem triginta Tyranni infringere nō potuerunt. Spirat ille vultum Papiniani, qui interritâ facie à crudeli Tyranno cæsus fuit. Spirat ille indolē Reguli, qui luminibus in perpetuas vigiliis expansis, periculis undiq; imminentibus, virtutem non abscondit, sed magis magisq; exercuit, suosq; gemitus sub tortore devoravit. Et ut cū Chrysofomo, invictam Viri Prudentis in calumnia omnibusq; adversis mentē obfirmem. Beatus ille undiq; Chrysofomus apud  
Nicetam. petitus,



petitus, firmiter stetit, sexcenta tela Clypeo excipiens, de-  
ditionem non fecit; exhaustis Dæmonis pharetram, nec  
concidit. Imò ne de gradu quidem constantiæ, in calum-  
niæ furore dimoveri potuit. O præclarissimum, & im-  
mortali gloriâ dignum. Viri prudentis, in invidiæ, calum-  
niæ impetu animum! O stupendam in tam deplorandâ  
sorte, generosæ mentis constantiam. Quam similiter in  
cæterorum concursu infortuniorum declarare, om-  
nesq; prorsus calamitates, invictâ superare fortitudine,  
neq; unquam ipsis succumbere consuevit. Et quomodo  
obsecro ipsis succumberet Vir prudens, supra ipsam for-  
tunam eminentissimus? Qui vesana illa non amplectitur  
sincipita, quæ, omnes mortalium res, nullo ordine, nullo  
alio rectore quam solâ fortunâ fluitare imaginantur. Qui  
dementissimorum hominum non æmulatur genium,  
qui non DEUM fortunæ rectorem, sed ipsam Fortu-  
nam propriâ suâ lege meantem agnoscunt; huic secun-  
da & adversa sua accepta referunt; ab hac pendunt &  
quidem miserrimi, nunc magni, nunc pusilli, nunc elati,  
nunc supplices, utcumq; se mutarit Rhamnusia; nec se-  
cus ac conchilia crescente lunâ aurescunt, decrescente,  
decrepant. Non sic delirat Vir prudens, pedissequus  
ille ac imitator DEI; hac Deâ, quid Deâ? hoc monstrô  
altior & sublimior subsistit, ut potè semet ipso & ex se na-  
scentibus, nulliq; vicissitudini succumbentibus bonis cõ-  
tentus. A solius ille Dei ineffabili dependet providentiâ,  
qui ipsi magnifica & erecta adversus fortunam suppeditat  
consilia; qui animum excellentem, moderatum, omnia  
tanquam minora transeuntem, quidquid cæteri expe-  
tunt aut expavescunt ridentem tribuit. Liber ille est,  
nec legibus propter metum paret, sed eas sequitur atq;  
colit, quod id salutare maxime esse judicet; nil ille invi-

tus



tus facit, nil dolens, nil coactus. Sibi soli imperat quia non attollitur prosperis, nec mergitur infelicibus. Solus Rex est, solus dives, etiam si vel ad alienas fores mustitans conspiciatur.

*Da regmen Hipponacti, namq; frigeo*

*Totusq; contremisco.*

Et si vel aquam cum polentâ in ædibus habeat, ipsi etiam Jovi de felicitate, in sua miseriâ, domestico plenus gaudio, controversiam movet. Quemadmodum autem, nihil incommodi adfert nimbus in mare decidens; utq; grando illisa tectis, magnô quidem fragore, sed nullâ noxâ desultat. Sic nulla calamitas, in Prudentem ruens Virum, ipsi officere, nullus inanis afflictionum, imò ne ipsius quidem mortis terror, eundem concutere potest. Illi duo rivuli ex turbidissimo affectuum fonte dimanantes, nimirum *Spes & timor*, animum ipsius non influunt, ut potè in quò nihil nisi unica tranquillitas, non secus ac Status mundi super lunam conspicitur. Velut enim illa mundi pars superior & ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur. Eodem modo sublimis Viri prudentis animus, quietus semper est, in statione tranquillâ collocatus, modestus, venerabilis, compositus; totus ex se (post Deum) pendet, & suprâ fortunam eminent, tum prospera tum adversa contemnit, totumq; fortunæ regnum despiciatui ducit. Solâ virtute involutus Vir prudens, in utrisq; casibus eundem ac æquabilem mentis tenorem gerit. Non paupertas illum, non hostilitas, non invidia, non calumnia, non ullæ calamitates præcipitem agere possunt. Ubique ille virtutem suam explicat. Explicat in divitijs; Sin minus, in inopiâ. Explicat in patriâ; sin minus, inter exteros vel in exilio. explicat inter amicos; sin minus, inter infensissimos hostes,



Perseus  
apud Livi-  
um lib.  
XLII. C. 62  
Valer.  
Max. lib. 4.  
Xenophon  
in vita ejus  
p. 674.

stes, illosq; ut virtutis occasionem, ut suæ probitatis exercitia autumat. explicat in honorum cacumine; Sin minus, in dolio Diogenis, & vel in ipso ignominiaë abyfso. quamcunq; uno verbo, fortunâ arripit, ex ipsâ tale quid præstat, quod & ipsa posteritas, non absq; ejus gloriâ memorare valeat. *Modum imponit rebus secundis* ( ut aiebat Perseus ) *nec nimis credit serenitati presentis fortune.* Alter Numidicus Metellus, qui pari vultu & exul & restitutus erat, adeoq; moderationis beneficio, medius semper inter secunda & adversa, animi firmitate incedebat. Alter Agesilaus, qui modestè rebus uti secundis, in adversis spei plenus esse poterat. Alter Annibal, qui ad prospicienda cavendaq; pericula peritissimus, nec minus in secundis adversa, quâ in adversis secunda cogitabat. Et dū se tam æquabilē in utraq; fortunâ Vir prudens præstat, quod sanè difficillimum, cum res secundæ, hominem supra suam extollere sortem, adversæ dei cere soleant; cum deniq; cuilibet innatum homini, prosperis rebus inolescere, adversis subitò consternari. Quis jam in dubiū vocabit Virum prudentē læto animo quamvis ærūnâ tolerare? quis jam ambigat eū in omnibus infortunis indepressam, imò erectam conservare mentem? quis eat inficias, eundem omnes angustias, ut virum altum & fortem infra se ducere, ac animo stabili defixum, coelestiumq; rerum contemplatione firmatum, semper impavidum in rebus adversis manere; quas facilius ferri moderatè, quam secundas prudenter, nemò sapientissimorum hominum unquam ignoravit; cum illæ ob metum futuri sollicitos mortales reddant, hæ ob præteritam felicitatem, ad rerum omnium contemptum impellant; cum illæ instruunt, hæ fallant; illæ cognitione fragilis faustitatis mentes absolvant, hæ specie bonorum mendacium, fruenti-



fruentium animos constringant. Sanè Vir prudens & cordatissimus suspectam habet nimiam etiam fortunæ indulgentiam; cum ejus ingenium benè noverit, quod nempe quibus exitium molitur, his prius novâ rerum prosperitate blandiatur. Cohibet quantum potest effectentem etiam semet fortunam, nè quanto altius illa effert, tantò foedius ille corruat; & nè quanto cæteris omnibus, per instabilem fortunæ clementiam antistat, tantò majore postmodum lapsu decidat. Cum plus habeant ponderis ad ruinam, quæ cæteris sunt altiora, & cum (ut Senecâ scribit.)

*quidquid in altum*

*Fortuna tulit, ruitura levat.*

Quemadmodum autem Sol, dum in meditullio coeli consistit, exiguas jacit tenebras, ità Vir prudens quò altius eum fortuna evehit, eò magis se deprimit; sciens omnium extrinsecus advenientium bonorum lubricam & incertam esse possessionem, sæpèq; dominum suum permutantem; sciens adversa subitò ex secundis, secunda ex adversis nasci, & si quis latioris fortunæ radius effulget, ecce mox minantis & novercantis simul umbram adesse, vestigiaq; premere aut excipere. quare, velut cautus gubernator in tranquillitate tempestatem, in tempestate tranquillitatem expectat, sic Vir prudens

*Rebus angustis animosus, atque*

*Fortis apparet; sapienter idem*

*Contrahit vento nimium secundo.*

*Turbida vela.*

Ad maximam vero calamitatem, ad quamcunq; fortunæ inclementiam minimè consternatur. In quà ille si vel maxima sit, non exiit nec prostituit suam magnanimitatem, & quasi ex ære adversus fortunæ clades

G

Senec.

Agam.

Horat. in

Odis.



*Seneca de provident.*  
C. 4.  
des conflatuſ, animoſè fortunam cùm Seneca alloquitur. Verberes me & laceres fortuna, lubens egò patiar. Non ſævitiã ſed certamen reputabo, quo ſœpius tecũ conſigam fortior ero. Solidiſſima pars corporis eſt, quam frequens uſus agitavit. Præbendus tibi ſum, ut contra te à te ipſa obdurer. Paulatim me tibi parem facies; contemptum periculoſum aſſiduitas periclitandi dabit. Sic reſolutus eſt, ſic paratus ad omnem infortuni j vim atq; impetum. Vir prudentiſſimus. Et quidni paratus eſſet Vir virtute verã, reali & ſolidã compactus. Abhorret ille à talium Sophiſtarum genio, quorum verba cogitationibus, conſilia verbis reſiſtunt. qui diſſerendo quam inſignis Virtus ſit? quanta pariat emolumenta? quantis digna encomijs? aures aliorum quodam modo deliniunt; poſt decantatas nihilominus Virtutis laudes, tum maximè infaniunt, tum ſcleribus ac flagitiis vitam contaminant, ad minima infortunia, in furorem ipſũ abripiuntur, ac omne fas juſq; omnem deniq; pietatem confundunt ac ſubvertunt, quaſi Virtus eorum, è puris & putis verbis non è ſolidis rebus concreta eſſet. Non ſic Vir prudens; Non quid & qualis ſit Virtus contemplatur, ſed ipſam exercet ac excolit Virtutem. Non ſaltem novit quid virtus ſit (quod olim Spartanus quidam Athenienſibus obiecerat) ſed agit, ſed eã ipſã utitur. Non de ſolã verbis diſcurrit virtute; Sed virtutire ipſã ſtrenuam navat operam. Inſculpiſit præterea, ſuo pectore illam ſententiam Pacuvij, quam olim Macedo Philoſophus, pro foribus omnium templorum ſcribi debere cenſebat.

*Plutarch.  
in Lacon.  
Apophreg.  
Xenophon  
de repub.  
Laced.*

*Agell.  
lib. 13.*

*Ego odi homines ignavã operã, philoſophã ſententiã.*

Et quemadmodum Zeno malebat unum Indum videre qui torreatur, quam omnes de laboris perfeſſione diſcere



discere probationes, meliusq; iudicabat, sanum esse, quam ægotantem de sanitate differere. Sic Vir prudens fatius intueri exoptat, qui ipsa sit insignitus Virtutes, quàm eruditos de ipsius præstantia miscere sermones; consultiusq;, Virtutè decoratum esse, quam Virtute destitutum, disertissima licet de Virute colloquia instituire, arbitratur. Hac ille pollens, serió Virtutem quoq; constantiæ, in quavis exercet calamitate; & cum personata sit plerorumq; in hoc mundo Virtus; cum non tales sint, quales se ipsi venditant, aut cæteris apparent; cum linguâ saltem constantiam jactent, nec eam in animo habeant, quam ore mendaci profitentur; Vir prudens solidæ virtutis & constantiæ domicilium, non in fronte, oculis, ac vultu qui persœpe mentitur, sed in pectoris penetrati fixit; quod oculis & legibus impervium, DEO soli, luce meridianâ clarius patet. Non est ut pluvia illa, quæ in lapides cadens aut rupes supernè leviter tantum irrigat ac defluit: eâ etenim præditus est magnanimitate, quæ non in ore & verbis, sed quæ in ipsâ vita, in ipso exercitio, in ipso animo consistit. Possidet ille non verbalem, sed realem constantiæ virtutem, quæ illi sacrarium bonæ mentis referat; quæ omnem fortunæ vultum intrepidè excipit, quæ id ipsum efficit, ut Vir prudens ad nullos casus fortuitos perturbetur, quos evitare nostræ non est potestatis, ut omnia mala ad crimen fortunæ non releget, &

*Ut flectat mentem pectus antiquum advocet,*

*Victasquè magno pectore arumnas domet.*

Senec.  
Thebaid.

Quod non difficulter equidem Vir prudens præstat, faciliè, sævientis fortunæ pondere oppressus, animum non submittit, & ut ob eventum rerum prosperarum non mutatur, ita constanti animo decorum in adversitatibus



ratibus conservat. Quas ne malas equidem nuncupat, sed ut immixtas bonis à DEO & ab hoc bonorum omnium auctore profectas, veneratur ut flagella castigationis paternæ cùm delinquimus; ut frenos ne delinquamus, colit; ut gymnasia virtutum, exercitia fidei ac patientiæ amplectitur. Aristophanes ignoro an non aliquo corruptus delirio, in hæc verba ausus est prorumpere.

Aristoph.  
in pluto  
act. II. sc. 5.

*Fas est equum frangi homines rebus gaudere secundis,  
Pravos ex adverso & sceleratos, fortunâ premi iniquâ.*

Defæcatori equidē ac saniori cerebro Vir prudens pol- lens, nō aliundē quā Divinitus, Divinoq; ac prudentissi- mo consilio hominibus infortunia evenire existimat; ut nempē invidiâ, calumniâ, aliisq; calamitatib<sup>9</sup>, verissimū colligant robur; ut inter malevolos materiam præclare factorum, suæq; constantiæ habeant; ut præterita corri- gant vitia, futura solertius curent; ut velut aurum igni- bus, sic ipsi discriminibus malisq; probentur; ut majo- rem sui notitiam ac experientiam capiant; ut deniq; pa- trium DEI erga se animum agnoscant. Non sic insanit Vir prudens, ut nullam DE I providentiam agnoscat, ut quod non capit subito carpat, maximè dum malis be- nē bonis autem malè esse, scœpissimè animadvertat. Exe- cratur ipse illam Traici impudentissimam sententiam,

*Audeo profari, sunt ne, vel regnant DEI?*

*Namq; improborum me attonat felicitas.*

Detestatur Claudianum aliquando antequam ad sa- niorem postmodum mentem rediret dicentem,

*Sed cum res hominum eant à caligine volvi*

*Aspicerem, latosq; diu florere nocentes,*

*Vexarig; pios, rursus labefacta cadebat*

*Religio.*

Divinæ ille providentiæ, divinæ ac infallibili pruden-

tiæ.

Claud. in  
Ruffinum.



tiæ, Divino deniq; placito, omnes mortalium ac præci-  
puè piorum ac bonorum imputat aduersitates. Videt  
præterea totam fermè humani generis vitam flebilem  
esse. Urgere hominem novas calamitates priusquam ve-  
teribus satisfecerit. Vitæ nostræ lubricæ continuam  
consanguineamq; esse molestiam. Circulū esse rerum hu-  
manarum, qui rotatus semper eosdem fortunatos esse,  
non permittit. Videt quod ( ut Seneca eleganter )

*Alia ex alia cura fatigat*

*Vexatq; animos nova tempestas.*

Seneca  
Agamēn.

Videt quod cuilibet fermè inopinata accidant mala;  
ab illis nemo juxta Sophoclem immunis sit, nullusq;  
tam felix in Orbe reperiatur, præter DEUM ipsum;  
*nullum qui sensit ( juxta Æschilum ) damnum in omne ævum,*  
& qui se ab aliqua infelicitate, per hanc caducam vitam  
sequestrare potuit, ut ipse Manilius confitetur

Sophocl.  
Oed. Col.

*Nemo caret damno, poterit nec habere negatum*

*Aut fugere instantem. Sors est suã cuiq; ferenda.*

Manil.  
lib. 4.

Videt deniq; Omnium, etiam illorum quos incedere  
altos conspicimus bracteata esse felicitatem. *Nullum  
esse bonum ( secundum Augustum ) cui non aliquid sit acerbi  
admixtum.* Nec in hac vita, tam optabile aliquid inveni-  
ri bonum, quod non misceatur poculo aliquo mœro-  
rum: ideoq; nō solum patienti animo, invidiam, calum-  
niam omniaq; in fortuna sustinet, sed ultro se cessanti-  
bus malis offert, & virtuti in obscurum per prospera itu-  
ræ, occasionem per quam enitesceret quærit. In summæ  
præterea felicitatis censum collocat, quod dignus à Deo  
benignissimo videatur, in quo exiperirerur quantum hu-  
mana natura pati posset. Nec decet aliter Virum pruden-  
tem ac sapientem agere. Cū prudentis sit ( juxta Ma-  
crobium ) *mundum istum & omnia que in mundo insunt, divi-*

Astron.

Augustus  
apud Dion.  
Cass. l. 56.

Macrobius. I.  
in somn.  
scipion.



Plutarchus  
de conso-  
lat. ad  
Apollon.

norum contemplatione despicere, omnemq; animæ cogitationem  
in sola divina dirigere; cum rectè instituti ac cordati hominis  
(juxtà Plutarchum) sit, neq; mutari ob eventum rerum que  
videntur prospera, & constanti animo decorum in adversitatibus  
servare; cùm sapientis sit, instar boni gubernatoris ven-  
torum semet mutationibus conformantis, fortunæ men-  
tem suam accommodare, fortunam sibi ipsi fingere, in-  
malis quoq; ut oportet sapere, & sive Thersitæ, sive  
Agamemnonis personam à fortunâ jussus sit sumere,  
utramq; decentissimo gestu æmulari, ac masculâ genero-  
saq; tolerantia, adversus fortunæ impetus semet instrue-  
re. Facit id Vir prudens, nec aliud calamitatem censens  
quam virtutum officinam, quàm conscientiaæ theatrum,  
quam patientiaæ materiam, quam latissimum virtutum  
campum, eandem benignissimo suscipit animo, fert id  
quod emendare non potest, DEUM quo auctore cuncta  
eveniunt, sine murmure comitatur. Quo magis in eum  
sæviunt mala eò est erectior, omnes fortunæ ictus exci-  
pit, conculcatus etiam alacrius resurgit. Ut arbor altius  
radice terram comprehendit, quò frequentior ventus  
eandem incursat. Ita Prudens Vir, quo magis infortuniis  
laceffitur, eò robustior, eò firmior redditur. Manet ille,  
in statu, & quidquid evenit, in suum colorem trahit, ipse  
bonus, benè ferendo, benè interpretando in bonum ver-  
tit: ut verò vinum rubrum, paucas albentes guttulas  
secum commistas suo colore tingit; ita Vir prudens  
quidquid accidit benè consulit, omnem afflictio-  
nem tolerando, sibi utilem reddit. Omnibus exteriori-  
bus potentior, contra illa quietus & placidus attollitur,  
omniaq; adversa, aut tanquam exercitia, aut tanquam  
medicamenta suscipit. Et si in quid, certè in Fortunæ  
inconstantiam, ejusq; vicissitudinem, oculos Vir Pru-  
dens



dens conijcit: Quod dùm facit, advertit fortunam esse  
 Diariam, in dies vel potius in horas mutabilem. advertit  
 cum Philone. *Nihil esse quod mortales tanto affectu deside- Philo Jud.  
 rant, re ipsa nihil sed umbram aut auram, qua antequam subsi- de incon-  
 dit prætercurris. Accedit & recedit Euridis & astibus maris si stan. for-  
 milis.* Præbet semper aures Vir prudens fortunæ apud tune.  
 Boetium loquenti. Hæc nostra vis est, hunc continuum, Boet. lib. 2.  
 ludum ludimus, rotam volabili orbe versamus, infimâ de consol.  
 summis, summa infimis mutare gaudemus; ascende si philos.  
 placet, sed eâ lege, ne uti cum ludicri mei ratio poscet, de-  
 scendere injuriam putes. Advertit nullas esse divitias Seneca, de  
 quas non egestas, fames, mendicitas à tergo sequa- tranquil.  
 tur; nullam esse dignitatem, cujus prætextam, & au- animi c. u.  
 gurale, & sordes, & exportatio, & noræ, & mille macu-  
 læ, & extrema contemptio non comitentur. nullum  
 esse regnum, cui nō parata sit ruina, & proculcatio, & do-  
 minus, & carnifex? Non magnis ista intervallis divisa,  
 sed horæ momentum interesse, inter solium & aliena-  
 genua. Intuetur tragicos & funestos tot mortalium casus  
 & eventus, è quibus instabiles ac repentinas ejus com-  
 mutationes quilibet palpare potest. Cernit quomodo  
 una hora fortuna volubilis in honorum fastigium eve-  
 hat; alterâ in barathrum miseræ detrudat; quomodo  
 uno puncto gloria opibus, alterò infamiâ & pauperie  
 mactet; quomodo uno momento tot regna tribuat, alte-  
 ro, non solam illa, sed vitam ipsam adimat, cervicemq;  
 ipsam, magnis etiam Regibus, dissecandâ carnifici, infle-  
 ctere jubeat. Cernit rerum, quæ cujvis stabiles videntur  
 & firmæ, subitam ac non prævisam catastrophem, spes  
 hominum fallaces, & in casu positas. Cernit fortunæ le-  
 vitatem obstupescendam, quæ Mancino, unâ manu tot  
 ampla imperia contulit, alterâ Numantinis ad servitu-  
 rem.



tem, ad necem tradidit. quæ Pompeium post quæsitum  
magni, ex rerum gestarum amplitudine, cognomentum,  
ad Spadonum libidinem in Ægypto trucidari curavit,  
quæ Veturium & Claudium, quibus olim perpetuo quo-  
dam fortunæ favore, omnes res ex sententia cedebant,  
Corsis crudeliter tradidit. quæ Regulum feritati Car-  
thaginis substravit. quæ Scianum, eo ipso die, quo per  
Senatum ad summos provexit honores, per populum in  
frustra divisit, & in quem, quidquid congeri poterat, Dij  
hominesq; contulerant, ex eo nihil dereliquit, quod vel  
carnifex trahere potuisset. quæ Darium, potentissimum  
illum Regem, extrema, clade affecit, novaq; ludibria ex-  
cogitans, ne tamen regi honos non haberetur; aureis  
compedibus vincivit; ut ipse jure merito exclamaverit.

Darius  
apud Curt.  
lib. 4.

*Quam versatilis fortuna sit, p[er] se sum documentum.*

quæ Dionisium Juniolem, ad summa prius extractum,  
ut graviore casu caderet, post, Syracusis expulsus, Co-  
rinthum in exilium relegavit, & ad humillimam ludima-  
gistri conditionem abiecit. ut de ipso Ovidius ceci-  
nerit.

Ovid. 4. de  
ponto  
Eleg. 3.

*Ille Syracusâ modò formidatus in Urbe,  
Vix humili duram repulit arte famem.*

quæ Polycratem Samiorum Tyrannum, post jucundos  
ridentis felicitatis Zephyros, per Oretem Cyri præfe-  
ctum, suspendio ignominioso affecit. quæ Cæsarem Ju-  
lium, Victorem maximum, viginti tribus vulneribus, in  
Senatu miserrimè confodit. Et quis quæso omnia For-  
tunæ inconstantis ac fallacis documenta? quis omnia ejus  
nefarie crudelitatis exempla recensere, nisi ille qui  
arenarum numerum, & montium pondera se scrutari  
posse insipienter opinatur. Quæ omnia ad accuratiorem  
judicij lancem, Vir prudens ponderans, & simul tam fra-  
gilem



gilem fortunam, tam inanēs mortalium contentiones,  
tam funesta deniq; fortunæ documenta præ oculis ha-  
bens, propriam & privatam infelicitatem facilius conco-  
quit, & ex tam deplorandis aliorum casibus, suis quo-  
dammodò infortunijs solatium concipit; Cum verò so-

*lum exemplum* (opinione Aristidis) calamitates reddat  
leviores, intuens aliorum infortunia mentem conster-  
natam solatur & erigit, cum deniq; ut Seneca cecinit

*Lenius luctus lachrymag, mordere*

*Turba quas fletu simili frequentat;*

*Aristid.*

*Orat Rho-*

*diacà*

*Seneca*

*Troad.*

*act. 4.*

pectus suum angustia & afflictione gravatum levat &  
recreat; præ tragicis cæterorum eventibus, nè pili qui-  
dem proprias calamitates æstimat. Cum autem, tum in  
aliis, tum in se ipso experiatur, se in hanc sortem natum,  
ut cum cæteris in adversitatis pelago jactetur; dum ad-  
versus eum adversitates ingruunt, firmat contrà omnes  
sua præcordia, ac inter ipsas expectat futuram DEO di-  
spensante in hisce rebus caducis animi recreationē; quæ  
si non eveniat, credit nihilominus firmissimè, venturam  
aliquando illam diem, quæ eum solutum hoc carcere &  
ruinoso corpusculi hujus ergastulo liberatum, in illa,  
quæ dolorum ac ærumnarum omnium expers, cœlesti  
reponet sede; credit constantissimè affulsuram fatalem  
illam lucem, quæ de summâ vitæ feret sententiam; quæ,  
æternæ natalis, omnibus ærumnis illum eximet, & emen-  
so peregrinationis cursu, patrio tandem, à quo inter tot  
calamitates exulat, cœlo redonabit. Hac fide nixus & ani-  
matus Vir prudens. In eodem habitu est quocunq; res  
cedunt, sive geruntur. Stat rectus sub quolibet pondere,  
nulla illum res minorem facit. quidquid in hominem ca-  
dere potest, in se cecidisse non quæritur. Non quæritur  
si in paupertatem labatur; nam inter plures se futuram

H

opina-



opinatur. non quæritur si relegatur in exilium; nam se  
natum putat quò mittitur, non se uni angulo in lucem  
progenitum confitetur, patriamq; suum totum mundum  
arbitratur. Non quæritur se malis vel aduersis obrui;  
nam ad hoc sacramentum se adactum esse agnoscit, ut  
ferat mortalia, ut virum se præstet sub quavis coeli fa-  
cie, ut præstoletur articulum, quò iterum Sereni effulge-  
ant Soles. Non quæritur se ab iniquitate ac crudelitate,  
fortunæ opprimi. Et si eum modò ad fastigium fulgoris  
euectum, modo in obscurum carcerem demersum exer-  
cet hæc Dea, non frangit sed excitat, non aufert, sed au-  
get illius magnanimitatem. Offert illi opes & iterum eri-  
pit? Favores multorum, honores donat, & mox trans-  
portat ad alios? Amicos plures obijcit, & denuò livore  
tacta dissipat? Scit ille pridem, morem ejus non esse al-  
tum: ita ludere in suo imperio levisissimam hanc meretri-  
cem ac ineptire: nec unquam transcendere limites, quos  
ipsa sibi præfixit; interim certus nocere eam posse ne-  
mini, nisi cui profuerit, ridet omnes ejus aduersus semet  
machinationes; & quemadmodum aromata svavissi-  
mam suam fragrantiam, dum incenduntur expandunt;  
Sic Vir prudens omnem virtutum suarum svaveolenti-  
am, dum calamitate ac aduersitate premitur, orbi mani-  
festat. Quemadmodum planta quædam dum inciditur  
germinat; cum ferro ipso certat, & si poetarum more  
loqui licet, morte vivere, incisione nasci, consumptione  
augeri videtur: eundem in modum Vir prudens, quò ma-  
gis invidiâ, calumniâ, cæterisq; calamitatibus inciditur,  
pulchrius efflorescit, cum ipsis malevolis gloriôsè dimi-  
cans, de ipsis triumphat, ipsisq; funestis casibus ornatior  
ac venustior redditur. Et quis jam obsecro Viri pruden-  
tis constantiam in dubium vocabit? Non ille deterior

pueris



pueris Spartanorum, qui verberum licet dolore laniati,  
 ne ingemiscere quidem solebant. Non deterior adoles-  
 centibus Lacedæmoniis, qui incredibili contentione  
 certantes, exanimari prius cupiebant, antequam se vi-  
 ctos faterentur. Non deterior barbaris Indis, quorum  
 sapientiores, nudi ætatem agere, Caucasî nives, hyema-  
 lemque vim sine dolore perferre, cumque ad flammam se  
 applicarint, sine gemitu aduri consueverant. Non his &  
 similibus alijs Vir prudens inferior, fortiori profectò  
 instructus animo, subitè sapienter casus aduersos, nõ fran-  
 gitur fortunâ, & in rebus asperrimis suam retinet digni-  
 tatem. Æmulatur satius Anaxagoram illum, qui auditâ  
 morte filij, minimè ad tantam commotus calamitatem, Valer.  
Max.lib.5.  
tit. de par.  
qui ob.fil.  
 respondit referenti. Nihil mihi inexpectatum aut no-  
 vum nuncias, ego enim illum ex me natum mortalem  
 sciebam. Æmulatur Agrippinatem, qui in qualibet infe-  
 licitate hilarem vultum & animum lætissimum præse-  
 ferebat, & quocumque malo premebatur, in ejus tandem  
 publica scribebat encomia. Æmulatur Anaxarchum Sa- Brus. l.2.  
c. 2. ex Plu-  
tarch.  
 pientissimum, qui cum à Nicocreonte Cypri Tyranno,  
 in saxo concavo tunderetur, animo infraçto, *Tunde, tun-*  
*de, aiebat, Tyranne, Anaxarchi vasculum; ejus constantiam*  
*non teris.* Æmulatur admirandum illud in Sexu imbecil- Plutarch.  
 liore constantiæ exemplum, Lacænam nempè quandam  
 mulierem, quæ cum filium ex acie reversum ingenti do-  
 lore è vulnere in pede accepto conflictantem intue-  
 retur, animosè eundem alloquebatur, si virtutis tuæ fili  
 memineris, non solum non dolebis, verum etiam opti-  
 mo animo eris; & contra matrum genium, quæ filiorum  
 dolorem suis quærimonijs ac lachrymis exasperare so- Cicero lib.  
I. Tuscul  
 lent, proprium filium ad doloris tolerantiam animabat.  
 Æmulatur Theodorum fortissimum, cui cum Lysima-  
 chus



quæst.  
Bruf. l. 2.  
C. I.

chus Macedo crudelissimam minaretur mortem, respondebat minimè ad eam expavescens. Minare hæc purpuratis tuis. Theodori quidem nihil interest, huminè an sublime in cruce putrescat. Æmulatur per plurimos alios qui nullis infidiis territi, non minis mutati, non carcere, non periculis fracti, invidiâ, calumniâ, calamitatibus majores & excelsiores, tanquam quædam Marpesiæ cautes ventos, ictus, procellas & fluctus, riserunt, contempserunt, superarunt; optimè scientes, Ipsam solam virtutem, abundè magnum esse sui præmium, quicumq; sequatur eventus. Paulus Jovius refert emblemata quoddam, insigniter animi constantiam & in virtute perseverantiam notans, quam Vir prudens constanter conservat. *Syrenam videlicet maritimam*. cum hac inscriptione, *contemnit tata procellas*. Quid enim aliud in hoc mundi pelago Vir prudens facit? quàm quod omnes invidiæ, calumniæ, omniumq; infortuniorum procellas despiciat, quam quod tam generoso præditus sit animo, & à rebus inferioribus adeò remotus, ut quantumvis fortiter flatibus invidiæ & calumniæ perstreptentibus, ut, quantumvis obstinatè fluctibus adversitatum in eum irruentibus, tranquillus & immotus persistat. Plebeix mentes nunc nimiâ angustia quati, nunc inaniter tumere spe aut ferociâ solent; non secus ac navis debitâ sabburra carens, quæ modò huc fertur, modò illuc quo vis vento impulsa, tandem irato mari debet ludibrium. Mens verò è contra Viri prudentis supra vulgus posita, necessitati lubens obsequitur, & quò fata trahunt mæsculo procedit pectore; concoquit temporum tristitiam, donec dies olim grata vice reducat candidiora sidera. Dum Noto confligit Eurus, cum Neptunus ab imo undas commovet, cum horror noctis, fragor rudentum, clamor



mor virorum, cuncta metu formidolosæ mortis percel-  
lunt, tum se Virum præstat peritus navis magister, tum  
mente inconcussus, animo præsentis, per tot discrimina-  
cursum continet: Simili pacto Vir prudens à malis, curis,  
laboribus, robor sumit, quò magis ventorum minas pa-  
titur, eo firmius vitæ suæ cursum dirigit; inter omnes an-  
gustias, ut Vir magnanimus, partim fiduciâ Divini auxi-  
lij, partim prudentiâ, cum Fortunæ violentiâ decertat; ;  
ut cordatus gubernator, in mediâ tempestate, arrepto ra-  
tionis clavo, ad DEI omnipotentis paternam sollicitu-  
dinem, sive Cynosuram ac Helicem vitæ, consiliorumq;  
naviculam deflectit. Aquila ubi crepera tempestas ir-  
ruit, ubi obscurarum nubium imbriumq; procellæ Cœ-  
lum occupant, ad loca semet demissiora recipit, sed mox  
dissipatâ tempestate, ad pristinam sublimitatem semet  
attollit. Et quid aliud Vir prudens facit? quam quod  
aliquandiu conjectus in angustias, demittit quidem pau-  
lisper, sed nō despondet animū; quam primū autem affli-  
ctionum desistit nimbus, erigit subito mentem, nullis un-  
quam ærumnarum suppressam procellis, ac neq; indul-  
gentiâ fortunæ efferatur, neq; mole adversarum rerum  
deprimitur. Et si Camillus patriæ liberator maximus,  
neq; Dictaturâ elatus, neq; exiliò ejectus, eundem mentis  
tenorem continuit; Vir certe prudens, forti semper pe-  
ctore, masculo animo, tum excipit, tum perfert atroces  
illos fortunæ procacis insultus. Et si nonnulli amnes, per  
media maria fluentes, aquam interim puram & imper-  
mixtâ servant: sanè Vir prudens, per tot calamitates in-  
cedens, nullâ ex ipsis falsedinem trahit, nullis periculis,  
nullis adversis animo cedit, alacri & infractâ mente,  
quidquid porrigit fortuna, tolerat, ejusq; nequitias in-  
victâ pectoris generositate perfert: Si verò illâ extremè



in ipsum sæviat, hic mediis tranquillus in undis, obviam pergit creperæ tempestati, non jurgiis, non vi, non dolis, quibus vulgares animæ armis utuntur, verùm spe, patientiâ, mansuetudine, constantiâ. Tantò major Achille illo à Græcis deprædicato, quantò excelsior est virtus ejus, animi conpescens motus, nec impotentibus affectibus laxans habenas. Achilles enim irâ & sævitiâ ulciscetur injurias. Vir prudens silentio & constantiâ, easdem ut & omnia adversa transmittit. Achillis perniciofa indignatio & vindictæ cupiditas, mille dolores Archivis concinnavit, mille fortissimas animas ad infernum detrufit. Viri prudentis benignitas, clementia, magnanimitas, vitam, salutem, capitalibus etiam hostibus concedit. Qui velut cubicæ figuræ species quoquo versum jacta, versataq; fuerit, recta semper consistens, ad omnia fortunæ tela semper idem manet; & ut Gregorius scribit, in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, quasiq; quadrangulus ex omni latere statum habens, casum in qualibet mutatione non habet. Qui instar Dionysij lapidis, si aquis misceatur contritus, vinum fragrantis; inter adversa vires suas exerit, & inter infortunia ipsissimam hilaritatem spirat. Qui instar Sardonicis subterius nigro, medio candido, superius minio colore constantis; licet adhærescat corpori, nihil tamen ex eo terrenæ contagionis capit, sed purum servat

*Æthereum sensum, atq; auræ simplicis ignem;*

Infra pedes res humanas habens, puro virtutum candore collucet, & in ipso apice miniatus, hoc est, primis futuræ gloriæ radiis jam afflatus, igneo charitatis rubore purpurascit. Qui instar Asbestæ lucernæ, olim in templo Veneris, nullis ventorum flatibus aut pluviis extinguibilis, non melius Orbi innotescit, nisi habeat contra-

ria

Gregor. super.

Ezechiel.  
hom. 21.

Solin. Poly.  
hyst.

edit. Picta.  
p. 113.

Orig. lib.  
61.

Athenæus  
lib. 16.

D. August.



ria; non majorem sibi comparat celebritatem, nisi ad ver- de Civit.  
sis exerceatur. Qui velut arbor quædam immortalis di- Dei lib 21  
ceta, refecta pullulans, & cum ipso ferro certans, ipsis in- c. 6.  
fortunijs illustratur, molesta quæq; in virtutis materiam  
transfundit, ipsisq; calamitatibus venustatur, & ut Ho- Horat.  
ratus scripsit. Od. 4. lib. 4.

*Duris ut ilex tonsa bipennibus  
Nigra feraci frondis in Algido,  
Per damna, per cades, ab ipso  
Ducit opes animumq; ferro.*


Qui velut Roraria solis herba, vel in ardentissimo Vide hyst.  
æstu, humore quodam roscido guttulisq; pellucidis ma- Pla. Rovi.  
dens, inter invidiæ, calumniæ, ac aliarum adversitatum  
incendia, Divinæ gratiæ rore affluens germinat, & *ater-*  
*num virens*, nunquam contabescit. Qui velut Palma, luxu-  
riosa ramorum propagine assurgens, omnes malevol-  
orum ac malediciorum conatus, ex eminenti Virtutis suæ  
& constantiæ loco deridet, ac velut mera generosa  
menti ludibria despiciatui ducit. Qui velut Oliva Byzan- Sostratus  
tina, stupendo olim prodigio, igneo imbri foecundata, Byzantini  
ex ipso infortunio emolumenta quærit, & ex ipsis ad- apud  
versis suæ laudis, ac gloriæ capit argumentum. *Negotia-*  
*tionem præclaram esse*, cum Tertulliano judicans, *aliquid* Tacium  
*amittere ut majora lucretur*. Qui velut Gagates gemma, Tertul. ad  
jucundissima, aquâ incendi, oleo verò restingui solita; Martires.  
sive jam invidiæ, sive calumniæ, sive adversitatum, Plin. lib.  
aquis suffocari videatur, fervet æstuatq; ardentissimè, 36. C. 16.  
affuso autem voluptatis, ac nunquam interruptæ felici-  
tatis oleo, tepet & languescit, Et hic est Viri pruden-

tis



tis, in invidiæ, calumniæ, cæterorumq; infortuniorum,  
insultu genius, hæc indoles. quam, quia vivis exprimere  
non potui coloribus, aliquatenus tamen, prout ingenij  
ac eloquii imbecillitas ferre poterat adumbravi. cordi-  
citus, & mihi, & omnibus exoptans bonis, ut DEO ipsi,  
in omnibus adversitatibus confidamus; ut in illis ani-  
mum, spe solatij Divini, rectæq; conscientiæ fiducia  
erectum, minimè deprimamus; ut omnem factorum ini-  
quitate[m] patientissimè devoremus; ut deniq; inter in-  
vidiæ fulgura, inter calumniæ coruscationes, inter in-  
felicitarum procellas, jam icti, jam fumantes, jam ne-  
fariis nebulonum tædis, in innocentia[m] capita injectis  
ardentes, omnes malevolorum machinationes, omnes  
nobis insidiantium fraudes, veluti ruentis in nos cœli  
pondus, ineluctabili quodam vigore Spiritus excipia-  
mus. Donec nos DEI Optimi Maximi, cœlo restituet,  
illi q; vitæ redonabit clementia; in quâ omnes tempesta-  
tes serenitas, omnia infortunia felicitas, mörtem  
temporalem immortalitas, vitam deniq; ca-  
ducam, immensa ac infinita excipiet  
æternitas.


## SOLI DEO GLORIA.













ria; non maiorem sibi comparat cel-  
sis exerceatur. Qui velut arbor qu-  
eta, resecta pullulans, & cum ipso  
fortunijs illustratur, molesta quæq;  
transfundit, ipsisq; calamitatibus  
ratus scripsit.


*Duris ut ilex tonsa bipennibus  
Nigra feraci frondis in Algido.  
Per damna, per cades, ab ipso  
Ducit opes animumq; ferro.*

Qui velut Roraria solis herba,  
æstu, humore quodam roscido gutt-  
dens, inter invidiæ, calumniæ, ac al-  
incendia, Divinæ gratiæ rore affue-  
*num virens, nunquam contabescit. Quo-*  
*riofâ ramorum propagine assurgens*  
*rum ac malediciorum conatus, ex en-*  
*& constantiæ loco deridet, ac vi-*  
*menti ludibria despiciatui ducit. Qui-*  
*tina, stupendo olim prodigio, igne*  
*ex ipso infortunio emolumenta qu-*  
*versis suæ laudis, ac gloriæ capit arg-*  
*tionem præclaram esse, cum Tertulli-*  
*amittere ut majora lucretur. Qui vel-*  
*jucundissima, aquâ incendi, oleo ve-*  
*sive jam invidiæ, sive calumniæ,*  
*aquis suffocari videatur, fervet æf-*  
*affuso autem voluptatis, ac nunqu-*  
*citatis oleo, tepet & languescit. Et*

si adver- *de Civit.*  
ortalis di- *Dei lib 21*  
sipsis in- *c. 6.*  
materiam  
& ut Ho- *Horat.*  
*Od. 4. lib. 4*

antisimo *Vide hyst.*  
idid ma- *Pla. Rovi.*  
rfitatum  
t, & ater-  
na, luxu-  
ale volo-  
tutis suæ  
enerosæ  
a Byfan- *Sostratus*  
cundata, *Byzantini*  
pfs ad- *apud*  
*Negotia*  
*Tacium*  
s, aliquid *Tertul. ad*  
gemma *Martires.*  
solita; *Plin. lib.*  
itatum *36. C. 16.*  
tisimè,  
ptæ feli-  
pruden-

tis



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE203 Serial No.